

50  
Rm


Köhler, Bibliographia Brechtiana

№. 502 w. 532











Breuis & perspicua  
explicatio Psalmorum  
Dauidis.

AUTORE

Ioanne Brentio.

DECAS DECIMA.



T V B I N G Æ,  
Apud viduam Vlrici Morhardi,  
Anno 1569.





PSALMI DECIMÆ  
Decadis.

91. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, &c.*
92. *Bonum est confiteri DOMINVM.*
93. *DOMINVS regnavit, decorem induit, &c.*
94. *Deus ultionum DOMINVS.*
95. *Venite exultemus DOMINO, iubilemus.*
96. *Cantate DOMINO canticū nouū, cātate DOMINO.*
97. *DOMINVS regnavit, exultet terra, lætentur.*
98. *Cantate DOMINO canticū nouum, quia mirabilia fecit.*
99. *DOMINVS regnavit, irascantur populi.*
100. *Iubilare Deo omnis terra, seruite DOMINO.*



L 2, 1452



## Psalmus 91.

*Qui habitat in adiutorio altissimi.*

Ieronymus in Malachiam scri- *In Præfatione*  
 bens : Psalmi, (inquit) qui titulos *in Malachiam.*  
 non habent, eorum esse credendi  
 sunt, quorum priores Psalmi no-  
 minibus sunt prænotati. Hoc, si  
 verum est, hic nonagesimus pri-  
 mus Psalmus, qui apud Hebræos  
 est *אֲוֶרֶן יִצְחָק*, adscribendus erit, non Dauridi, aut al-  
 teri cuiquam Psaltæ, sed Mosi, quippe quod prior Psal-  
 mus : Domine, refugium factus es nobis, inscribatur  
 Mosi. De occasione quoque eius, diuersæ sunt sententiæ.  
 Alij referunt eum ad historiam illam, quæ scripta est  
 in posteriori libro Samuelis, cap. 24. de peste grassante  
 in populum. Alij ad tempus liberationis Israeliticæ ex  
 Ægypto. Quod, utcumque se habeat, certè hic Psalmus  
 nobilis est, è tentatione, qua Satan Christum **D O M I N U M**  
**N V M** nostrum in pinnaculo templi est aggressus. Cum  
 enim Satan statuisset Christum supra pinnaculū tem-  
 pli, dixit illi : Si filius es Dei, præcipita te deorsum. *Matth. 4.*  
 Et allegat testimonium ex hoc Psalmo : Scriptum est,  
 inquit, quod angelis suis mandaturus est de te, ac  
 manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem  
 pedem tuum. Quare hic Psalmus sit nobis, vel illo no-  
 mine commendatus, quod Christus peruersam Satanæ  
 allegationem refutet, & veram Psalmi sententiam, ex  
 alio scripturæ loco, interpretetur. Porro, quod ad vni-

A 2 uersum



uersum Psalmum attinet, generalis est descriptio securitatis & foelicitatis illius hominis, qui credit promissis Dei, & in fide eorum constat.

1. *Qui habitat in abscondito altissimi, & qui in umbra omnipotentis commoratur.*
2. *Dicit DOMINO, spes mea es, & munitio mea, Deus meus, confido in ipsum.*

Primum omnium sciamus, quis sit ille, qui habitat in abscondito altissimi, et qui comoratur in umbra Omnipotentis, vt cognoscamus, quis sit ille, qui hac securitate & foelicitate, qua hic Psalmus comemorat, fruatur. Habitare igitur in abscondito Altissimi, & commorari in umbra Omnipotentis, is dicitur, qui iuxta Psalmum 37. manet in domo DOMINI omnibus diebus vitae suae, & videt amoenum cultum Dei, ac visitat templum eius, videlicet, quem abscondit Deus in tabernaculo suo, in tempore afflictionis, & occultat eum in loco tabernaculi sui, (hoc est,) qui audit verbum Dei, & custodit illud, qui audit promissiones DOMINI, & credit eis. Dixit enim Deus, se in tabernaculo, de medio duorum Cherubim, supra propitiatorium locuturum, & praecipiturum Mosis, quaecumque Israelitis mandanda susceperit. Quotquot igitur audiunt verbum Dei, quod in tabernaculo adnunciatur, & adhibent ei fidem, hi dicuntur in abscondito altissimi, (hoc est) in loco sancto, ad propitiatorium, habitare, & in umbra Omnipotentis, quod est, in tutela Dei commorari. Quid autem erit eis? aut quae beneficia contingent ipsis? Principio ille, qui habitat in abscondito Altissimi,

*Exod. 25.*



tissimi, & qui commoratur in umbra Omnipotentis, hoc est, qui audit verbum Dei, & adhibet ei fidem, ille, inquam, dicit D O M I N O, spes mea es, & munitio, seu propugnaculum meum, & te solo confidam. Nam qui credit promissioni Dei, is agnoscit solum D O M I N V M, spem suam, propugnaculum suum, & munitio- nem suam. Qui autem sic agnoscit D O M I N V M, is tu- tò inter omnia huius vitæ pericula versabitur. Ingre- diamur ergo in tabernaculum Dei, audiamus verbum Dei, & credamus, vt quæcunq; rerum discrimina nos adoriuntur, securè perambulemus. Habes generale beneficium, quod commoranti in tutela Dei, (hoc est) credenti promissionibus Dei, contingit. Nunc ergo dis- ducit hoc genus in suas species. Sequitur enim.

3. *Quoniam, ipse liberat te de laqueo venantis, de peste exiti-  
tiali.*

Qui habitat in abscondito Altissimi, non tantum di- cit D O M I N O: Tu es spes mea, munitio mea, & Deus meus, nec frustra sperat in Deum, sed, quod sperat, hoc etiam assequitur. Tantum enim abest, vt vana sit spes eius, & vt spe sua pudeat, vt D O M I N V S ipse liberet, ac seruet eum de laqueo venatoris seu aucupis. Si quan- do incidit in retia venatorum, aut in laqueos aucu- pum, (hoc est,) in præsentia pericula, mox præstò ade- rit D O M I N V S, & exoluet eum mirando modo è peris- culis, & e peste exitiali, seu ab interitu. Credo quidè, (inquies) Deum liberare aliquot homines, è præsentis- bus periculis, idq; mirando modo, sed non cuius con- tingit hoc beneficium. Contigit Mosi, inter fluctus

A 3 maris



maris in infantia sua natanti : contigit Dauidi , in medio hostium comprehenso : contigit Prophetæ Eliazæo, quem ab hostibus circumdatum , defendit cœlestis exercitus : contigit alijs, multis quidem, sed bene numerabilibus. Mihi autem tale beneficium non est, nec sperandum, nec expectandum, quippe qui non cōprehendar in catalogo, vel sanctorum, vel iustorum.

*Iob 22.* Et Deus non considerat, vt Iob ait, nostra hæc, videlicet abiecta & humilia, sed circa cardines cœli perambulat. Hæc quidem sunt causificationes incredulorum, sed vanissimæ : Si enim nec es sanctus nec iustus, da operam, vt sis sanctus & iustus. Sanctificamur autem & iustificamur per fidem in Christum : Arbitramur enim, ( inquit Paulus ) hominem iustificari FIDE, absq; operibus Legis. Et quid tibi sit à Deo vel sperandum vel expectandum, non est ex humana iustitia aut ratione, sed ex diuina promissione afferendum. Diuina extat promissio, ( quem admodum in hoc ipso Psalmo sequitur ) Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Huic promissioni adhibe certam fidem, & dicito ex corde : D O M I N V S, spes mea, munitio mea, & Deus meus : & non erit dubium, quin consequaris in periculis tuis admirandam liberationem. Nam, quod obijcias, Deum non curare ista abiecta & contempta, noli D O M I N V M Deum nostrum, iuxta humanas affectus, sed iuxta diuinum verbum suum æstimare, noli dicere, quod impij apud Hieremiam dicunt : Ex ore Altissimi non egrediuntur, nec bona nec mala, sed memineris verbi D O M I N I : Nonne duo passeruli minuto asse veneunt, & vnus ex illis non cadet

cadet



cadet in terram, sine Patre vestro. Vestri etiam pili capitis omnes numerati sunt. Quare, etiamsi fueris peccator abiectus & contemptus, tamen eò magis speraueris opem Dei, quò abiectior es in oculis, vel tuis, vel huius mundi. Sed hęc mihi rectè & piè inters preteris opem Dei. Deus enim confert opem suam inuocantibus se ex fide, aut corporalem aut cœlestem. Nam in inuocatione pia, certissima est exauditio. Quare, quod Dauid in profectioe in exiliū, de arca Testamenti dixit: Si inuenero gratiam in oculis D O M I N I, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum, Si autem dixerit mihi: Non places, præsto sum, faciat quod bonum est, coram se, hoc idem nobis, in quauis petitione liberationis è corporalibus periculis, ex fide vsurpandum est. Nam, cū D O M I N U S duplicem habeat rationem iuuandi periclitantes, videlicet, aut externam, (quod diximus,) & corporalem, aut spiritualem & cœlestem, collocandum est in liberrimo ipsius solius arbitrio, vtra ratione visum sit ei nos iuuare, vt nos nullam prorsus iacturam salutis nostræ, siue iuuet nos corporaliter siue spiritualiter, faciamus.

4. *Pennis suis teget te, & sub alis eius securus eris, scutum & clypeus veritas eius.*

Pergit commemorare beneficia, quæ conferuntur in illum, qui commoratur in tutela Dei. Nam quem admodum aquila prouocans ad volandū pullos suos, super eos volitat, & expandens alas suas, protegit eos: ita D O M I N U S tegit pennis & alis suis cura & custodia eius, cōmorātes in tutela eius, et sperātes in ipsum.

Scutum

*Deut. 32.*

*Psal. 61. & 63.*



Scutum, inquit, & clypeus, veritas eius. Veritatem intelligas certitudinem, constantiam & firmitatem promissionum Dei: Quod egressum est, (inquit Psalmus 89.) de labijs meis, non mutabo. Et in Esaia: **D O M I N U S** Zebaoth decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, & quis auertet eam? Ac iterum. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem **D O M I N I** manet in æternum. Sicut ergo scuto & clypeo excipiuntur & repelluntur aduersa iacula, ne nos ceant, ita certitudine promissionum Dei, quas per fidem excipis, retunduntur omnes afflictiones, ne letaliter feriant: State, inquit Paulus, lumbis circumcinctis baltheo per veritatem, super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere.

5. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante interdiu.*

6. *A peste in tenebris grassante, à lue vastanti meridie.*

Aliud beneficium, quod contingit ambulanti- bus in tutela **D O M I N I**. Cum enim hi in omnibus periculis tuti & securi ambulant, & sub alis **D O M I N I** conseruantur, tum præcipue tempore pestilentia defenduntur. Nam, quod dicitur, à timore seu pauore nocturno, à sagitta volante interdiu, ab excidio in tenebris ambulante, & à lue vastanti meridie, descriptio est pestilentia, quæ cum grassari cœperit, vagatur tam noctu, quam interdiu, tam in tenebris, quam in meridie, vt nescias, vbi sit cauendum. Etsi enim vulgò fertur, quòd pestilentia grassante, fugiendum sit **C I T O, L O N G E, T A R D E,**



TARDE, (hoc est) quod è locis pestilentia corruptis, discedendum sit citò, & ad loca longinqua, ac redeundum tardè: tamen DOMINO Deo nostro iudicante, & aut peccata hominum puniente, aut fidem explorante, non effugies manum DOMINI, etiamsi descenderis, (quemadmodum Propheta inquit) vsq; ad infernum, *Amos 9.* seu ascenderis vsq; ad cœlum, aut absconderis te in vertice Carmeli. Arbitraris ne, septuaginta illa milia virorum, qui tempore Dauidis, propter numerationem populi, peste extincti sunt, aut centum octoginta quinq; milia, qui tempore Saneherib, in castris Assyriorum perierunt, temerè, & absq; singulari Dei iudicio & designatione occidisse? Certè, in Ezechiele interficiuntur omnes illi, qui non sunt signo in frontibus consignati. Et si pili capitis nostri sunt numerati, quid innumerati etiam essent, qui ad pestem descripti sunt? Quare, qui sunt recepti in tutelam DOMINI, vt sunt tuti in omnibus alijs periculis, ita etiam in lue pestilentia. Vnde sequitur.

7. *Cadent à latere tuo mille, & decem milia à dextris tuis, ad te tamen non appropinquabit.*

Etiamsi pestilentia tanta rabie circa te grassatur, vt occubuerint ab vno latere tuo, mille homines, & ab alio latere, decem milia, tamen, tu, qui commoraris in tutela Dei, tutus & immunis eris. Non dissimilis promissio extat apud Esaiam, cap. 43. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Sed sæuiente pestilentia, (inquies) innumerati

B meri



meri abripiuntur morte, & multi in eluuiionibus ac exustionibus miserrimè pereunt, nunquid ergò dicemus, hos omnes, aut esse impios, aut non esse in tutela Dei? Nihil minus. Diximus enim paulò antè, duplicem esse diuinæ salutis rationem. Aut enim est corporalis, aut spiritualis seu cœlestis. Ac siquidem fueris impius, & in impietate perseueraueris, nihil ad te diuinæ promissiones: Impij peribunt, (inquit alius *Psalms. 37.* Psalmus) & inimici D O M I N I, sicut pingues agni absumentur, in fumo absumentur. Nihil enim proderit impio, etiamsi euaserit pestilentiam, aut eluuiosnem, aut exustionem: necesse habet vel tandem perire. Si autem fueris pius, certè non fallerit te diuina promissio: Cœlum, inquit, & terra peribunt, verba autem mea non peribunt. Et: Sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Quare, siue te pestilentia sustulerit, siue abundantia aquarum te obruerit, siue vorax flamma absumperit, commoraberis in tutela Dei, & malū ad te non appropinquabit: Siue viuimus, inquit Paulus, D O M I N O viuimus: siue morimur, D O M I N O morimur. Siue igitur viuamus, siue moriamur, D O M I N I sumus. In hoc enim Christus & mortuus est, resurrexit, & reuixit, vt mortuis ac viuentibus dominetur.

8. *Imò oculis tuis videbis, & ultionem impiorum cernes.*

Videtur quidem pestilentia rapere homines temere & indiscriminatim, sed si rem diligenter cum animo tuo consideraueris, videbis ipse magnum discrimen. Pij enim conseruantur, impij autem ultionem accipiunt, & delentur. Hic iterū non est iudicandum  
secus



secundum externam speciem, qua pestilentia, tam in  
 pios, quam in impios grassari solet: sed secundum fidē,  
 & incredulitatem. Pij enim excipiunt sagittas pesti-  
 lentiae ex fide. Quare, sicut nec gladius, nec fames, nec *Rom. 8.*  
 nuditas, nec Angeli, nec principatus, nec potestates,  
 ita nec pestilentia, nec alij morbi possunt credentem  
 separare ab ea dilectione, qua Deus ipsum in Chris-  
 to Iesu Domino nostro complectitur, & conseruat.  
 Impij autem excipiunt eas sagittas ex incredulitate.  
 Necessse igitur habent non solum corpore, verumetiam  
 am animo perire, & per pestilentiam in æternas tene-  
 bras ingredi.

9. *Quoniam tu DOMINE, spes mea es. Altissimum posuisti habitaculum tuum.*

Non mirum est, quod pius euadat saeuiciem pes-  
 tilentiae immunis & impunis, impius autem in ea pes-  
 reat. Pius enim dicit ex animo ad DOMINUM De-  
 um: Spes mea tu es. Et ponit Deum Altissimum, pro  
 habitaculo, pro munitione, pro refugio & asylo suo.  
 Quis autem ipsum ex hoc habitaculo & asylo pro-  
 turbare posset? Et quis esset accessus pestilentiae ad hoc  
 habitaculum.

10. *Non (igitur) occurret ad te afflictio, & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo.*

In solo Deo collocas spem tuam, & in solo Al-  
 tissimo collocas habitaculū, & domiciliū tuum. Quo-  
 modo igitur vel pestilentiae, vel vlli alteri afflictioni,

B 2 aut



aut plagæ pateret ad hoc domicilium aditus? præsertim cum vndiq; munitum sit angelis? Sic enim sequitur.

11. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.*  
 12. *In manibus portent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

Quomodo non solum esses tutus in medio pestilentia; verumetiam in omnibus alijs aduersis, cum Angeli mandatum Dei habeant, vt te in omnibus vijs tuis ita custodiant, & sustentent, vt ne quidem pedem tuum ad lapidem offendas? Hi sunt versiculi illi, quos Satan in tentatione Christi allegat, & quibus abutitur ad persuadendum Christo, vt se temerè de pinnaculo templi demittat. Etsi autem Satan veteratorè interpretatur hæc dicta scripturæ, tamen, nihil est certius, iuxta veram eorum sententiam, quàm quod Deus angelis suis mandauerit, vt pios in omnibus vijs suis custodiant, ne offendat pedes suos ad lapides. Hoc enim testificantur etiã alia scripturæ, cum dicta, tum exempla.

Psalm. 33. Immittitur Angelus DOMINI in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Matth. 18. Angeli eorum vident faciem patris mei, qui est in cœlis.

Hebr. 1. Omnes sunt administratorij spiritus, qui in ministerium emittuntur, propter eos, qui hæredes erunt salutis.

Gen. 32. Obuiam veniunt Iacobo Patriarchæ, Angeli



geli Dei, quos vocat ipse, castra Dei, emissi videlicet diuinitus ad tuendum ipsum, aduersus ferocientem fratrem Esau.

Exod. 13. & 14. Angelus DOMINI præcedebat Israelitas ad ostendendam viam per diem, columna nubis, & per noctem columna ignis.

In posteriori libro Regum, cap. 6. apparet in circuitu Prophetæ Elizæi, mons plenus equorum & currus igneorum. Hi sunt Angeli defensores Elizæi. Nihil igitur certius, nihil verius est, quam quòd DOMINVS mandauerit Angelis, vt custodiant pios in omnibus vijs suis, & curent, ne offendant pedes suos ad saxa. Sed quid? inquires? Adeone impotens est Deus, vt ad conseruandos & tuendos pios, indigeat ope Angelorum? An non est Deus omnipotens, & ἀντάρκτως, per se ipse, ad gubernandum & defendendum vniversum mundum, sufficientissimus? Nihil est impotentia in Deo. Nec condidit Angelos, suæ ipsius indigentia gratia, sed condidit eos, tum ad testificandam maiestatem suam, tum ad declarandam summam suam curam erga pios regni sui hæredes. Dices igitur: Si Angeli sunt diuinitus deputati, vt nos custodiant in omnibus vijs nostris, agitedum, ruamus temerè in quæuis obuia pericula, & confidamus nos ab Angelis defensos iri? Hoc illud ipsum est, quod Satan in Christo quærebat. Admonet enim eum, vt sese de pinaculo templi, admirando modo, deorsum demittat, idque non temerè, sed autoritate DIVINA: Angelis suis, inquires, mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Christus autem refutat, non quidem autoritatem verbi Dei, quod agnoscit, sed falsam interpre-



tationem Satanæ, quam reijcit. Satan enim hoc dictū scripturæ, de custodia Angelorum, eò torquet, perinde ac si non solum permetteret, verumetiā iuberet inconsiderantiam & temeritatem. Christus verò opponit Satanæ aliud dictum scripturæ, quo veram illius sententiam explicat: Rursum, inquit, scriptum est: Non tentabis D O M I N U M Deum tuū, (hoc est) Quod de custodia Angelorū dictum est, non eò intelligendū erit, vt Deus tentetur, sed vt Deus N O N tentetur: Sicut enim Angelis mandatum est, vt custodiant pios in omnibus vñs suis, ita hominibus etiam mandatum est, vt in vñs suis Deum non tentent. Quare, si voluerint, vt Angeli suum faciant officium, in tuendis ipsis, faciant etiam ipsi suum officium, in non tentando Deo. De hac re admonent nos verba ipsa Psalmi: Mandauit, inquit Psalmus, Angelis suis, vt custodiant te in omnibus vñs tuis. T V I S, inquam, videlicet, si ambulaueris in vñs T V I S, non à vocatione T V A, ad quam te Deus vocauit, alienis, sed in vñs vocationi tuæ congruentibus, & à Deo impositis. Nam si aliquid contra legitimam vocationem Dei agendum susceperis, non mandauit Angelis, vt te custodiant, sed vt te pudefaciant. Nunquid ergò non custoditur ab Angelis temerarius, inconsideratus, & Deum tentans? Certe, iuxta ordinariam Dei promissionem, non debetur ei Angelorum custodia. Si verò nihilominus custoditur, attribuendum est gratuita ac indebitæ clementiæ Dei, qui, cui vult, miseretur, quem autem vult, indurat. An non habet potestatem figulus luti, vt ex eadem massa fingat, aliud quidē vas in honorem, aliud verò in ignominiam? Quare, si ambulaues

ris

Rom. 9.



ris in vera pietate, & legitima vocatione Dei, certissimam sperato Angelorum custodiam. Si autem temeritate & inconsiderantia tua Deum tentaueris, & te in praesentia pericula coniecero, sine vlla mora resipiscito, vt quod stultitia tua incertum fuit, resipiscentia tua certum fiat. Nam, quod Deus generaliter de impio dicit: *Viuo ego, nolo mortem impij, sed magis, vt conuertatur, & viuat, hoc etiam peculiariter de quouis ex inconsiderantia & stultitia periclitante intelligendum est. Viuo ego, nolo interitum periclitantis, sed magis, vt resipiscat, & periculum euadat. Quid vero illud? Promissio dicit, pios in tanta esse Angelorum custodia, vt ne pedes quidem ad saxa offendant. Quid autem, si non pedes solum offendant, verumetiam crura frangant, adeoque cadant, vt etiam vitam amittant? Vbi manet tunc Angelorum custodia? Num Angeli cessant aut stertunt? Sicut non cessat, nec dormitat, qui custodit Israel, ita nec cessant nec dormitant Angeli ad custodiam Israelis deputati. In hoc enim de custodia Angelorum argumento, sciendum est, quod Angeli custodiant Israelem, non contra, sed iuxta vocationem Dei. Quare, si vocatus fueris a Deo, siue ad vitam, siue ad mortem, Angeli sunt spiritus administratorij. Et custodiuntur animae (exempli gratia) Lazari, aut Dauidis, ab Angelis, dum ex vocatione Dei fruuntur hac corporali vita: deponuntur autem in sinum Abrahamae ab Angelis, dum ex vocatione Dei ex hac vita excedunt, vt sicut oculi seruorum sunt semper ad manum dominorum suorum, ita oculi Angelorum semper sint ad manum DOMINI Dei nostri, & imperata faciant.*

13. *Super*



13. *Super leonem & aspidem incedes, conculcabis catulum leonis & draconem.*

Aliud beneficium, quod contingit commoranti in tutela Dei: Non solum enim erit tutus à pestilentia, verumetiam à pestiferis & nocentibus bestijs. Nam in Lege, pestiferae & immanes ac crudeles bestiae, sunt peccatorum supplicia: Emittam in vos, (inquit) bestias agrorum, quae consumant vos, & pecora vestra. Et iterum in Ezechiele: Immittam in vos famem, & bestias pessimas, usque ad internicionem. Qui autem commoratur in tutela Dei, habet tam propitium Deum, quam remissionem peccatorum. Quare habet etiam immunitatem & securitatem à malis, & noxijs bestijs. Iuxta illud Esaiæ: Delectabitur infans ab ubere, super foramina aspidis, & in cauernam reguli, qui ab lactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo. Et Ezechielis: Faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam pessimas bestias de terra. Quae enim bestiae adhuc nocent & occidunt, nocent corpori, non nocent saluti animae, imò ne corpori quidem nocent: His, qui diligunt Deum, inquit Paulus, omnia simul adiumento sunt in bonum, nimirum his, qui secundum propositum vocati sunt. Incedent igitur super leonem & aspidem illaesi, & conculcabunt catulum leonis ac draconem securi.

14. *Quoniam mihi adhaeret, ideo liberabo eum. Exaltabo eum, quoniam agnoscit nomen meum.*  
 15. *Inuocat me, ideo exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione, eruam eum, & glorificabo eum.*

16. Longi-



16. *Longitudine dierum implebo eum, & ostendam illi salutem meam.*

Epilogus huius Psalmi. Deus enim, non vno tantum & altero beneficio afficit illum, qui in tutela eius commoratur, sed cumulat ipsum omni beneficiorum genere. Primum enim liberabo, inquit D O M I N U S, & conseruabo eum in omnibus periculis, quia adhæret mihi & amplectitur me summo studio. Deinde, exaltabo, & efferam eum ex omnibus ærumnis suis, quia agnoscit nomen meum. Adhæc, exaudiam eum in omnibus precibus suis, quia inuocat me. Præterea, præsto adsum, ipsi in quauis afflictione sua. Et præsto adsum, non ociosus, non cessator, sed vt eruam eum ex omnibus aduersis suis, idq; non vulgari, sed glorioso & admirando modo. Et donabo eum, non incolumitate tantum, sed etiam longæuitate, adeoq; ornabo eum quouis genere salutis. Hæ sunt amplissimæ & prolixæ promissiones Dei, quæ non dicuntur peculiariter ad vnum tantum & alterum hominem, sed vniuersaliter ad omnes & singulos, qui habitant in abscondito Altissimi, & commorantur in vmbra seu tutela Omnipotentis, hoc est, qui (quemadmodû hi versiculi loquuntur) adhærent D O M I N O, agnoscunt nomen D O M I N I, & inuocant illud. Omnis enim, qui inuocat nomen D O M I N I, saluus erit.

## V S V S H V I V S P S A L M I.

Hic Psalmus cohortatur nos ad inuocationem nominis Dei, in quauis afflictione. Est enim refertus  
**C** prolixis



prolis & liberalissimis promissionibus Dei, nec  
 quicquam aliud reliquum est, quam vt eas ad se quis-  
 que applicet. Applicantur autem non humana pru-  
 dentia, non iustitia operum, sed sola FIDE, eaq; non  
 tantum historica, aut tali, qualem etiam dæmones  
 habere possunt, sed Christiana, videlicet, vt credas  
 Rom. 4. mus in eum, qui excitauit Iesum DOMINUM nostrum  
 à mortuis, qui traditus fuit propter peccata nostra, &  
 excitatus est propter iustificationem nostram. Ex fi-  
 de enim, inquit Paulus, datur hæreditas, vt secundum  
 gratiam, vt firma sit promissio. Nihil enim magis nos  
 à fide & inuocatione nominis Dei deterrere solet,  
 quam amplitudo promissionum Dei, ac nostra indig-  
 nitas: quippe quod arbitremur, nos indigniores esse,  
 quam vt tam prolis promissiones Dei ad nos perti-  
 nere & pertingere possint. In hoc autem Psalmo ex-  
 tant largiores & liberaliores promissiones Dei, quam  
 in vlllo alio. Docet igitur Paulus, quod hæreditas be-  
 neficiorum Dei contingat ex fide, vt secundum gra-  
 tiam, vt firma sit promissio, (hoc est) hæreditas bene-  
 ficiorum Dei non datur nobis à Deo, ex meritis, quia  
 sic nunquam essemus certi de hæreditate, sed necesse  
 haberemus, semper de ea dubitare, propterea quod  
 nulla habeamus merita, & omnia nostra bona ope-  
 ra sint corrupta, vitiata & imperfecta: sed datur ex  
 gratuita Dei promissione, & accipitur per fidem, vt  
 non hæsitaremus, sed essemus certi, & in fide firmi.  
 Deus enim non collocauit promissiones suas super  
 hominum meritis, quæ non tantum sunt incerta, ve-  
 rum etiam coram Deo, nulla: sed collocauit eas super  
 sua ipsius gratia, clementia & misericordia, quæ cum  
 sint



sint natura ipsa Dei, (vniuersæ enim viæ **DOMINI**, misericordia & veritas) res sunt longè omnium certissimæ. Adhæc, Christus **DOMINVS** noster sustulit passionem & resurrectionem suam, omnem nostram indignitatem, & reddidit nos omnium promissionum Dei capaces & idoneos. Expiavit enim morte sua omnia peccata nostra, & dedit nobis, vt liceret filios Dei, ac hæredes eius fieri. Non deterreamur igitur, nec à fide, nec ab inuocatione nominis Dei, indignitate nostra: sed potius excitemur propter Iesum Christum **DOMINVM** nostrum, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitiæq; & sanctificatio & redemptio.

*Psalm. 24.*

Psalmus 92.

*Bonum est confiteri DOMINO, & psallere, &c.*



**P**V D Hebræos hic Psalmus inscribitur: Psalmus canticum, in die Sabbati. Quæ inscriptio significat, eum in die festo Sabbati, publicè in Ecclesia Israelitica decantatum esse. Constat autem argumento, quod Sabbato congruentissimum est. Institutum enim erat Sabbatum diuinitus, vt sanctificaretur, hoc est, vt esset signum, (inquit **DOMINVS**) inter me *Exod. 31.* & vos, in generationibus vestris, vt sciatis, quia *Ezech. 20.*

C 2 ego



*Exech. 20.* ego D O M I N U S, qui sanctifico vos. Non erat insti-  
 tum, vt ignauo ocio transigeretur, sed vt nomen Dei  
 celebraretur, & vt populus ex ea celebratione agnos-  
 cerent, quod essent populus Dei sanctus, ac deberent  
 D O M I N O Deo omnem laudem iustitiæ, sanctificatio-  
 nis & salutis. Ad hoc autem institutum peragendum,  
 hic Psalmus erat aptissimus. Continet enim laudem  
 nominis Dei, ab admirandis operibus eius ductam,  
 quæ Deus non tantum operatus est in creatione huius  
 mundi, verumetiam adhuc, hodieq; operatur in admis-  
 nistracione Ecclesiæ suæ, quam mirando modo in mes-  
 dio impiorum conseruat. Quare recitatio huius Psal-  
 mi conuenit diei Sabbati congruentissime.

1. *Bonum est celebrare D O M I N U M, & psallere nomini  
 tuo Altissime.*
2. *Adnunciare manè misericordiam tuam, & veritatem tu-  
 am noctu.*
3. *Super decachordo, & super psalterio, super Higaion, & ci-  
 thara.*

Hi tres versiculi sunt propositio Psalmi. Proponit  
 enim, & iubet nomen D O M I N I laudibus celebrare,  
 & gratias ei agere. Bonum, (inquiens) iustum, equum,  
 & pulchrum est, D O M I N U M laudare, D O M I N O gra-  
 tias agere, & nomini eius psallere. Bonū & pulchrum  
 est, adnunciare & prædicare misericordiam ac veritas-  
 tem eius: idq; non semel tantum, non vno tantum tem-  
 pore, non manè tantum, non vesperi tantum, sed manè  
 & vesperi, sed diu noctuq; vt conueniat cum illo alte-  
 rius Psalmi: Benedicam D O M I N U M in O M N I tem-  
 pore,

*Psalm. 34.*



pore, SEMPER laus eius in ore meo. Bonum item & pulchrum est laudare DOMINUM, & celebrare nomen eius, non voce tantum humana, sed etiam varijs instrumentis Musicis in decachordo, in psalterio, in Higaion, & in cithara. Sentiunt autem Higaion esse instrumentum Musicum, à meditando seu stridendo sic dictum. Nam *ἠγαγον* Haga, meditari, musitare, aut stridere significat. Hortatur ergò hæc propositio, ut laudemus nomen DOMINI, & gratias ei agamus, primum, non vna tantum hora, sed toto vitæ nostræ tempore. Deinde, non verbis tantum & sermonibus, sed etiam instrumentis Musicis. Etsi enim Deus non delinitur suavitate harmoniarum, tamen, cum Paulus dicit *Ephes. 5.* Homines impleri Spiritu per Psalmos, hymnos & cantiones spirituales, manifestum est, quòd carmina modulata & numerosa sint organa, per quæ Spiritus dona in ipsos illabantur & excitentur. Postremo, ad nuncianda & celebranda est in primis misericordia & veritas DOMINI. Hæc enim duo, videlicet, Misericordia, (hoc est) gratuita beneficentia, & Veritas, (hoc est) constantia in seruandis promissis, prædicantur pleno ore de Deo, in vniuersa scriptura, ac præcipuè in Psalmo octogesimo nono. Nec est, quod possit de Deo excellentius & laudabilius prædicari. His enim virtutibus tribuitur Deo, quod maxime suum est, quemadmodum scriptum est in Exodo, cap. 34. & in Psalmo centesimo tertio.

Quid ergò causæ est, quod te ad laudandū Deum, & gratias ei agendas excitat? Sequitur.



4. *Quoniam lætificas me D O M I N E in operibus tuis, & in factis manuum tuarum exulto.*

Commemorat causas, quæ impellunt ipsum ad laudationem Dei, & ad gratiarum actionem, quarum prima est. Merito te, D O M I N E Deus noster, laudo, & gratias ago, quod me in operibus tuis ita lætifices, ut in creaturis manuum tuarum gestiam & exultem. Sunt autem varia & multiplicia opera Dei. Alia sunt creationis, alia sunt redemptionis & gubernationis Ecclesiæ. Quocunq; igitur respexerit Psalter, inuenit, quod animum eius lætificet, & expergeficiat. Si enim cælum et terram, quæ sunt opera creationis, intueatur, gaudet ex animo, quod habeat ob oculos positum certissimum vestigium, non tam essentiæ Dei, quàm bene-

*Rom. 1.* uolentiæ eius: Quæ sunt, inquit Paulus, inuisibilia illius, ex creatione mundi (dñ per opera intelliguntur) peruidetur, ipsaq; æterna eius potentia ac diuinitas.

*Actor. 14.* Et iterum: Deus, in præteritis ætatibus, non sinebat se ipsum esse expertem testimoniij, dum beneficia conferret, è cælo nobis dans pluuias, ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Cum igitur ex intuitu cæli & terræ admoneamur, quod & Deus sit, & quod nobis gratuita sua clemētia beneficiat, teneri nec debemus, nec possumus, quin animus noster lætitia exultet, & Deo pro beneficijs eius gratias agat.

5. *Quàm magnifica sunt opera tua D O M I N E, nimis profundæ sunt cogitationes tuæ.*

Secunda causa, quæ Psalteren urget ad laudandum Deum,



Deum, & ad gratias ei agendas: Quàm magnifica sunt, inquit, opera tua DOMINE, nimis profundæ sunt cogitationes tuæ. Si opera creationis respexeris, omnia sunt condita, non solum omnipotenti virtute, verumetiam profundo, imperscrutabili & admirando consilio. Vt nihil nunc dicam de cœlo & terra, de mirabili dispositione eorum, de magnitudine cœli, de æquabili motu eius, de situ stellarum in cœlo, de duratione eius, item, de terra, de stabilitate, de fecunditate eius. Vel hominem ipsum, quem non solum *μικροκοσμος*, verumetiam, miraculum mundi appellare solent, contemplare. Ibi tot inuenies magnifica, quot membra, siue interiora, siue exteriora: Confitebor tibi, inquit Psalmus, quia mirabiliter formatus sum, *Psalm. 139.* mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Non est occultatum os meum à te, quando factus sum in occulto, & formatus sum in inferioribus terræ, (hoc est) in ventre matris. Informem massam meam viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia (membra) scripta erant, &c. Sed hîc vide mihi hominum, seu stultitiam, seu ingratitudinem. Cum enim Deus proposuerit hunc mundum homini, vt ipsum ex eo agnoscat, & colere ac gratias pro beneficijs suis agere discat: attamen

6. *Vir insipiens non cognoscit, & stultus non intelligit hæc.*

Horrendus enim est hominum insipientium & stultorum, hoc est, impiorum stupor, vt quæ Deus in vsum & salutem ipsorum condidit, ea non solum in  
utilitas



utilitatem suam non transferant, sed etiam in pernicio-  
em suam abutantur. Cœlum idcirco conditum est, ut  
esset schola, in qua homines discerent Deum cognos-  
cere: sed impij discunt in ea disputare contra Deum.  
Terra ideò condita est, ut homines beneficijs Dei frus-  
antur, & Deum celebrent: stulti autem siue impij, abus-  
tuntur beneficijs Dei, vel ad luxum, vel ad imposturas,  
vel ad blasphemiam nominis Dei. O igitur detestans  
dam ingratitude, & insanam stultitiam.

7. *Impij virent, ut gramen, & florent omnes operarij iniquita-  
tis: sed tandem pereunt in æternum.*  
8. *Tu autem excelsus es in æternum DOMINE.*

Paulò antè dixit de operibus creationis, quòd exci-  
tare debeant, ad laudandum Deum, & ad agendas  
ei gratias, pro beneficijs suis. Nunc commemorat ope-  
ra redemptionis & administrationis Ecclesiæ, ex quib-  
us etiam ipsis, & Deus cognoscitur, & Deo gratiæ  
sunt agenda. Nihil autem in præsentia dicam, de illis  
redemptionis operibus, quibus Christus redemit ge-  
nus humanum per mortem suam, quibus operibus ni-  
hil est admirabilius, sed de his aliàs. Dicam autem de  
operibus, quibus Deus liberat pios ab impijs. Impij,  
inquiens, virent ut gramen, & florent omnes operarij  
iniquitatis. Non virent autem nec florent, ut perpe-  
tuò perdurent in flore & virore, sed ut tandem in æ-  
ternum pereant. Solus enim DOMINVS est in æter-  
num excelsus, qui, sicut perpetuò constat in sua celsitu-  
dine & maiestate, ita etiam perpetuò conseruat pios,  
ut fiant suæ celsitudinis & maiestatis participes, & cõ-  
sortes.



sortes. In gubernatione Ecclesiæ nihil iniquius, nihil à iustitia alienius videtur, quam vt impij in sua impietate floreat, & fœlicem successum habeant, p̄j autem vnà cum Deo & religione sua flaccescant, & succumbant. Sed hæc nec est iniquitas, nec iniustitia. Iniqua quidem administratio videretur, si impij pergerent in sua impietate perpetuò fœlices esse: nunc autem solus DOMINVS est excelsus, solus DOMINVS est rerum omniũ iustissimus gubernator, qui, vt opportunus no suo tempore visitat iniquitatem impiorum, ita piorum innocentiam summa benevolentia tuetur. Habes igitur ex hoc quoq; administrationis Dei opere, materiam laudandi nominis Dei, & gratias elagendi. Sed vt hoc opus Dei magis explicetur & illustretur, repetit alijs quidem verbis, eandem autem sententiam.

9. *Quoniam ecce (inquiens) inimici tui DOMINE, ecce inimici tui peribunt, dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.*
10. *Exaltabitur autem, sicut unicornis, cornu meum, & vingar oleo recenti.*
11. *Et oculus meus cum voluptate intuebitur inimicos meos, insurgentes in me, de malis audiet (optata) auris mea.*

Antithesis est impiorum ac piorum, & finis eorum. Admirandum quidem est opus creationis Dei, sed nihil minus admirandum est opus administrationis eius inter impios & pios. Nam impij, etsi aliquãdiu virent, vt gramen, & vernant, vt flos, tamen ad extremum  
D pereunt,



pereunt, & pudeſcunt. Pij autem, etſi aliquandiu op-  
 primuntur, & ſuccumbunt, tamen cornu eorum exal-  
 tabitur, ſicut cornu Monocerotis, hoc eſt, magno ro-  
 bore & potentia ſeruabuntur. Deus enim eſt, qui tue-  
 tur eos, Deus eſt, qui conſeruat eos. Et quanquam  
 videntur deficere, & omnibus viribus ſuis deſtitui,  
 tamen vnguntur recenti & fragranti oleo, vt ſubin-  
 de fiant vegetiores. Donis enim Spiritus ſancti ( quæ  
 per oleũ adumbrantur ) ita perfunduntur, vt nõ ſolum  
 victoriam ab omnibus aduerſis reportent, verum etiam  
 am aduerſariorum interitum, ſumma cum voluptate a-  
 ſpiciant, & famã perditionis eorum audiant. Sed quid?  
 Hoccine pium eſt, de alienis malis gaudere, & miſeris  
 inſultare? Aliud autem eſt gaudium carnis, aliud gau-  
 dium Spiritus. Qui gaudent de alienis malis ex affe-  
 ctu carnis, hi ſunt inuidi, & cupiunt proximum per-  
 ditum, quoquo iure, quaquã iniuria: quales ſunt, de  
 quibus in Pfalmo dicitur: Auertantur ſtatim erubes-  
 ſcentes, qui dicũt mihi: Euge, euge. Et apud Ezechies  
 lem: Pro eo quod dixiſtis, Euge, euge, ſuper ſanctua-  
 rium meum, quia pollutum eſt. Qui autem gaudent  
 de alienis malis ex affectu Spiritus, gaudent de iuſto  
 Dei iudicio, & de liberatione eorum, qui iniuſte  
 oppreſſi fuerunt, quale eſt gaudium illorum, qui apud  
 Eſaiam, de caſu regis Babylonici dicunt. Nunquid  
 iſte eſt vir, qui conturbauit terram, qui concuſſit regna,  
 qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit,  
 & vinculis eius non aperuit carcerem? Quare tantum  
 abeſt, vt hi gaudio ſuo aduerſus charitatem proximi  
 ſui peccent, vt potius charitatem & iuſtitiam Dei, erga  
 miſeros & oppreſſos homines approbent & com-  
 mendent.

12. Iuſtus



ve. *Iustus vt palma florebit, sicut cedrus in libano diffundet se.*

Suprà dictum est: Impij florent sicut gramin, nunc autem dicitur: Iustus floret vt palma. Aliter enim floret & virescit gramin, aliter virescit palma. Gramen enim virescit tantum ad tempus: Exsiccatum est, inquit Esaias, fœnum, & cecidit flos, Palma autem semper virescit. Vnde affirmant eam reportare illa epitheta, ἰμπεδόφυλλον καὶ αἰείφυλλον, quod firmiter & perpetuo folijs virescit. Inter cæteras enim arbores, nullam planè videmus eadem custodientem folia, sed decussis prioribus, succrescere alia, Palma autem nil abijcit. Accedit & illud, quod palma, cum Phœnice aue, *Plinius lib. 13. cap. 4.* (quæ putatur ex huius palmæ argumento nomen accepisse, φοῖνιξ enim, & auem & palmam significat) iterum moriatur, & renascatur ex seipsa, (quod erat prius) pomis referta. Palma item pondus valide sustinet, *Plinius lib. 16. cap. 42.* quoniã in diuersum fornicatur seu curuatur. Sic etiam iustus, radicibus Spiritus sancti subnixus, suum semper retinet virescit, et quemadmodum Psalmus ait: Foliũ eius non defluit, ac dat fructũ suũ in tempore suo. Sustinet etiã, diuina suffultus virtute, maxima afflictionũ pondera, ac tandẽ, etiã si moriatur, tamen iterũ reuiuiscit.

Præterea, iustus cõparatur etiã cedro: Iustus (inquit) vt cedrus in libano crescit, seu in altũ exurgit. Cedrorũ altitudo seu proceritas, etiã aliàs cõmendatur, iuxta illud Prophetę Amos: Exterminaui Amorreum à facie eorũ, cuius altitudo cedrorũ, altitudo, et fortis ipse quasi quercus. Cõmendant cedri et ab æternitate, seu duratiõe, quod nec cariẽ nec vetustatẽ sentiãt. Similiter nec

D 2 cedris & 40.



Cedris decidunt folia. Eadem est conditio iusti. Iustus enim renatus, non ex semine mortali, sed immortal per sermonem viventis Dei, & manentis, vt Esaias & *1. Pet. 1.* Petrus dicunt, in æternum, crescit & exurgit in altum, hoc est, in cœlum vsq; , vbi etiam assequitur immortalitatem ac immarcescibilem hæreditatem.

13. *Plantati in domo DOMINI, in atrijs Dei nostri germinabunt.*
14. *Pergent fructificare, etiamsi senuerint, virentes & florentes erunt.*
15. *Vt adnuntient, quòd rectus sit DOMINVS, & petra mea, nec sit vlla in ipso iniquitas.*

Psalmes, admonitu Palmæ & Cedri, quibus iustum cõparauit, pergit in eadẽ metaphora, iustos & conditioes eorũ describere. Iusti, inquit, non sunt arbores steriles, nec marcescunt, aut cõputrescunt, sed quia sunt plantati in horto DOMINI, in atrijs Dei nostri, idcirco semper germinabunt, & pergunt virere ac florere, & fructum proferre, etiamsi senuerint, ac defecisse videantur. Nihil quidem minus, iuxta externã speciem apparet, impij enim pergunt impunè impietatem sectari, pios opprimere, & fœlicissimum suorum consiliorum successum habere: sed nondum Sol omnium dierum occidit. Etsi enim iusti, qui sunt plantati in domo, seu horto DOMINI, & qui sunt vera Dei Ecclesia, varijs periculis & afflictionibus percelluntur, hoc tamen non est perpetuum. Primum igitur sciamus, quos Psalmus vocet iustos. Iusti autem dicuntur, non qui ex operibus legis iusti sunt, (hi enim sunt maledictioni,



ctioni, iuxta Paulum, obnoxij) nec qui sentiunt se propter *Gal. 3.*  
 merita suorum bonorum operum, iustos esse, sed  
 qui ex fide, propter Iesum Christum, iustificati sunt.  
 Deinde, hi iusti illam habent prærogatiuam, quòd  
 quamuis affliguntur, tamen, quia sunt vera Dei Eccles  
 sia, nunquã è terra omnes simul extirpentur, sed Deus  
 semper sibi reseruet sua septem millia virorum, qui aut  
 in tenebris impietatis non curuant genua sua ante Bas  
 al, aut in tenebris afflictionum, incolumes euadunt. In  
 exilio Babylonico, grauissima accidit calamitas Ecc  
 lesiæ Dei, & tamen Propheta dicit: Ecce dies veni  
 unt, & non dicent ultra: Viuit DOMINVS, qui eduxit *Hier. 23.*  
 filios Israel de terra Ægypti, sed, Viuit DOMINVS,  
 qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra As  
 quilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos.  
 Temporibus Maccabæorum, sæuiebatur in Ecclesi  
 am Dei immanissimè: & tamen vera Dei Ecclesia cõ  
 seruatur: In tempore illo, inquit Daniel, saluabitur *Dan. 12.*  
 populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in li  
 bro. Cum post mortem Christi, Iudæi pariter & Gens  
 tes, grassarentur in iustos, hoc est, in sanctam Ecclesiam  
 Dei crudelissimè, dictum tamen est: Oues meæ vos  
 cem meam audiunt, & ego cognosco eas. Ac mox:  
 Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum,  
 neq; rapiet quisquam eas è manu mea. Hisce tempos  
 ribus sæuiunt contra iustos, hoc est, contra veram Dei  
 Ecclesiam, ex vna quidem parte Pontificij, ex altera  
 Turcæ, & cupiunt eam extinctam: scriptum tamen *2. Tim. 2.*  
 est: Solidũ fundamentum Dei stat, habens signaculum  
 hoc: Nouit DOMINVS, qui sint sur: & discedat ab inis  
 quitate, omnis, qui nominat nomen Christi. Iusti igitur



tur, hoc est, plantati in domo DOMINI, & iustificati ex fide, propter Christum, etsi in hoc mundo miserrime affliguntur, tamen nunquam ita ex his terris exterminantur, ut Christo non sit reliqua sua iustorum & sanctorum Ecclesia. Postremo, ut iusti maxime crudeliter in hoc seculo tractentur, adeoque morti ipsi obijciantur, tamen habent hanc spem certissimam, quod omnia sint eis adiumento in bonum: Simul cum

*Rom. 8.* Christo (inquit Paulus) patimur, ut & vnâ cum ipso glorificemur. Nam reputo, non esse pares afflictiones presentis temporis, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Quare, etiamsi hic mundus aduersus iustos, qui sunt vera Dei Ecclesia, furiosè insaniat, tamen fieri non potest, quin germinare, ac etiam in senectute, cum omnibus viribus destituti videntur, florere et fructificare pergant.

Sed in quem usum iusti in hoc seculo conseruantur? sequitur: Ut adnuntient, quod rectus sit DOMINVS, quod DOMINVS sit petra seu asylum, & fortitudo nostra, & quod nulla sit in ipso iniquitas. Ecclesia enim Christi conseruatur diuinitus in hoc seculo, non ut dominetur mundano more, non ut externa felicitate fruatur, sed ut adnuntiet gloriam nominis Dei, videlicet, quod DOMINVS Deus noster sit rectus seu iustus, seruans promissi, & quod sit petra mea, hoc est, omnium sperantium in ipsam, quodque nulla sit in ipso iniquitas, pro more iniquorum iudicium. Nullus enim est apud Deum personæ respectus: Si quis iustus est & pius, DOMINVS est petra eius, & sustentaculum in omnibus aduersis, DOMINVS tuetur eum, siue abiectus sit, siue contemptus coram hominibus,

bus,



PSALMI XCII.

31

bus, DOMINVS conseruat eum, siue in vita, siue in morte. Si autem iniustus & impius fuerit, DOMINVS animaduercit in eum, siue Patriarcha, siue Monarcha fuerit. Breuiter, nulla est iniquitas apud Deum, & non perdit DOMINVS iustum cum impio. Ad hanc gloriam Dei celebrandam, conseruat Deus iustos, ad hanc laudem nominis eius illustrandam, tuetur DOMINVS Ecclesiam suam in omnibus periculis & aduersis, vt qui sunt increduli, ad fidem inuitentur: qui sunt pij, in fide confirmentur: qui autem sunt impij, de iudicio suo admoneantur, & si fieri potest, resipiscant.

VSVS HVIVS PSALMI.

In hoc Psalmo commendatur Deus, primùm quidem ab admirabili opificio mundi, deinde à stupendo iudicio, quod fertur a Deo inter pios & impios. Commendatur autem, non vt sciamus tantum, sed vt in vsum nostrum transferamus, videlicet, vt discamus Deum timere, Deum colere, Deo in omnibus aduersis confidere, Deum in omnibus afflictionibus inuocare, & certissimam liberationem sperare. Nouit DOMINVS, quemadmodum Petrus inquit, pios è tentatione eripere, iniustos autem (hoc est) impios & incredulos, ad diem iudicij puniendos seruare.

2. Pet. 2.

Psalmus





## Psalmus 93.

*DOMINVS regnavit, decorem indutus, &c.*



Publico interpretū, tam Hebræorum, quam Christianorum consensu probatur, quod hic Psalmus canat de regno Messia. Primum quidem, quod sit firmum, & perpetuò duraturum. Deinde, quod etsi habet aduersarios multos, & oppugnatur validissimè: tamen semper reportet victoriam, & triumphet. Postremò, quod propagetur in hac terra, non armis corporalibus, sed prædicatione Euangelij, quod est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Ac Iudæi, genus hominum carnalissimum, & excæcatum, expectant quidem vanissima spe, hoc regnum adhuc futurum, & in suo fictitio Messia instituendum. Sed, quod foelix, faustūq; sit, iamdudum in DOMINO nostro Iesu Christo institutum est, & impletum, & adhuc hodieq; impletur. Faceat igitur impietas Iudaica, obtineat autem pietas Christiana: & seruemus præceptum immaculati, sicut Paulus loquitur, ac irreprehensibiles, vsq; ad apparitionem DOMINI nostri Iesu Christi, quam temporibus suis ostensurus est, ille beatus & solus princeps, rex regnantium, & DOMINVS dominantium.

*1. Tim. 6.*

*1. Domi-*



1. *DOMINVS regnat, magnificè vestitus est, vestitus est DOMINVS fortitudine, accinxit se, adeoq, firmatus est orbis terræ, ne commoueatur.*
2. *Firmatus est Thronus tuus, ab eo tempore, ab æterno tuus es.*

DOMINVS ille, quem Psalmus celebrat, est DOMINVS noster Iesus Christus, qui, si diuinitatem eius respexeris, rex est ab æterno: si autem humanitatem, cœpit quidem regnare, vt homo, cum venit plenitudo temporis, & Deus emisit eum factum ex muliere, factum Gal. 4. legi obnoxium, semetipsum verò exinaniiuit, forma serui sumpta, & factus est obediens vsq; ad mortē: sed postquam resurrexit à mortuis, tum declaratus est esse filius Dei, sedens à dextris virtutis eius. Itaq; non iam dicitur tantum regnare secundū diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem, & donatus esse nomine, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium, ac infernorum, omnisq; lingua confiteatur, quod DOMINVS sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris. Primum igitur, cum Psalmus dicit: DOMINVS regnat, significat DOMINVM Iesum Christum, verum Deum, & verum hominem, postquam deposuisset formam serui, elatum esse in summam sublimitatem, & gubernare omnia, tam in cœlo, quam in terra. Deinde, Iesus Christus non solum regnat, verum etiam vestitus est magnificentia. Cum enim assumptus sit in eandem personam cum filio Dei, assumptus etiam est in eandem maiestatis eius participationem, vt, quemadmodum filius Dei adoratur ab omnibus creaturis, cœlestibus, terrestribus & E infernis,



infernīs, ita & filius hominis, secundum humanitatem suam, diuinitati personaliter vnitam, ab omnibus creaturis adoretur. Adhæc, vestitus est fortitudine, hoc est, omnipotentia: Data enim est ei omnis, OMNIS, inquam, potestas, in cœlo & in terra. Et iterum: Pater diligit filium, & OMNIA dedit illi in manum, vt qui credit filio, habeat æternam vitam, qui verò non credit, non videat vitam, sed ira Dei maneat super eum. Præterea: Accinxit se. Non solum enim omnia habet in manu sua, verumetiam stat prorsum accinctus & promptus ad ferendam opem omnibus pijs & afflictis, vt seruentur. Postremo: Firmatus est per ipsum orbem terræ, vt non commoueatur. Per orbem terræ intelligendum est, regnum Christi in toto mundo. Hoc igitur regnum, per Spiritum sanctum eius ita confirmatum est, vt nullus Monarcha, imò nullus satan possit ipsum euertere aut delere: Portæ inferorum, inquit, non valebunt aduersus illam. Breuiter: Thronus regni tui firmatus est ab eo tempore, hoc est, ab æterno. Tu enim es ab æterno, & sicut Tu es æternus, ita & Thronus regni tui in æternum permanebit. Nam, si Christum secundum diuinitatem consideraueris, sicut Pater est æternus, & Spiritus sanctus est æternus, ita & Christus filius Dei est æternus, quia eiusdem sunt essentiæ. Si autem consideraueris eum secundum humanitatem, natus quidem est homo, in plenitudine temporis, quemadmodum paulo antè dictum est, sed quia is homo assumptus est à filio Dei in eandem personam, & collocatus ad dextram Dei, idcirco tantisper nunc durat Thronus regni eius, dum filius ipse Dei durauerit, hoc est, perpetuo, & in æternum: Super

per



per solium David, inquit Esaias, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia, amodò & vsq; in sempiternum. Et in Daniele: Dedit ei potestatem & honorem, & regnum: & omnes populi, Tribus & lingue seruient ipsi. Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.

3. *Extollunt flumina D O M I N E, extollunt flumina sonitum suum, extollunt flumina fluctus suos.*
4. *Magni quidem sunt fluctus maris, & sonitus horribilis, sed multò maior D O M I N U S in excelso.*

Quod Paulus ad Corinthios scribens, in Epheso sibi accidisse affirmat: Ostium mihi apertum est magnū *1. Corinth. 16.* & efficax, & aduersarij multi, hoc vniuerso regno Christi, in hoc seculo, accidere solet. Commendauit enim Psaltes Christum à maiestate regni sui, à fortitudine ac firmitudine eius: sed interim commemorat etiam oppugnationem eius, qua etsi valide oppugnatur, tamen nunquam expugnatur. Exponit autē hanc oppugnationem metaphora fluminum & fluctuum eorum. Extollunt quidem, inquit, flumina D O M I N E, extollunt flumina sonitum seu strepitum, & fremitum suum, extollunt fluctus suos, hoc est, aduersus regnum Christi erigit sese, quicquid est in hoc mundo excelsum, potens, & eximium, ac, quemadmodum secundus Psalmus ait, fremunt gentes, meditantur populi vana, astant reges terræ, & conueniunt principes, vt regnum Christi opprimant, & deleant. Etsi autem horribiles sunt procellæ, turbines & tempestates, quibus

E 2 regnum



regnum Christi percellitur, tamen multo potentior est Christus, qui sedet in excelso, ad dextram Dei patris sui, & Thronum regni sui ita stabilivit, vt nulla potentia, nec humana, nec Satanica eum subuertere queat. Conciones autem de stabilitate, & perpetuitate regni Christi, suum habent vsum. Primum enim, confirmant animum imbecillum, in persecutionibus Pontificijs, quod etsi Pontifices immaniter sæuiunt aduersus Euangelion Christi, hoc est, Regnum cœlorum, tamen necesse habent inuiolatum dimittere. Hanc quidem vitam corporalem multis adimere possunt, veram autem, & æternam salutem adimere credentibus non possunt: quippe quod Thronus regni Christi, in perpetuum sit firmatus. Deinde confirmant animum imbecillum in furoribus Turcicis, quod cum regnum Christi sit firmissimè stabilitum, Turcicæ incursiones Ecclesiam Christi delere non queant. Etsi enim Turca, tam facultatibus, quam corporibus piorum vim inferre potest, tamen Christum à dextra Dei patris sui perturbare non potest. Postremò, confirmant priuatim cuiuscumque hominis fidem, in grauibus tentationibus. Siue enim afflictio, siue angustia, siue persecutio, siue fames, siue nuditas, siue periculum, siue gladius, minatur internicionem, & separationem à dilectione, qua Deus nos in Christo Iesu complectitur, Thronus Christi clementia & veritate ita stabilitus est, vt ab ea dimoueri, & seipsum negare non possit. Gratias igitur agamus Deo, & patri DOMINI nostri Iesu Christi, quod filio suo tam firmum, tam stabilem Thronum parauerit, vt tutum in omnibus aduersis receptum ad eum habeamus.

5. Testimo-



5. *Testimonia tua certa sunt, domum tuam ornat sanctitas  
perpetuis temporibus.*

Postrema pars Psalmi docet, quomodo regnum Christi propagetur & ornatur: Testimonia, inquit, tua certa sunt, (hoc est) doctrina Evangelij tui, (quæ nomine testimoniorum Dei venit) vera est, certa & firma. Certitudine enim & firmitate doctrinae Evangelicæ propagatur regnum Christi, quod est Ecclesia. Et, quia Christus dicit: Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis: idcirco Ecclesia ornatur sanctitate, propterea quod audiat testimonia Dei, (hoc est) prædicationem Evangelij de Iesu Christo, quæ non solum certissima est, verumetiam efficacissima, ut in omnibus credentibus proferat perpetuis temporibus fructus sanctissimos.

## VSVS HVIVS PSALMI.

Hic Psalmus est vaticinium de regno Christi. Etsi autem Christus non disertè & nominatim in eo prædicatur, tamen certissimum est argumentum, quod loquatur de regno Christi. Apostolica enim scripta sunt apocalypsis & commentarius veterum Prophetorum Scriptorum. Postquam autem Christus intrauit in gloriam suam, & confedit ad dextram Dei patris sui, Scripta Apostolica nesciunt alium DOMINUM Deum nostrum, præterquam Christum. Norunt quidem duas alias in diuinitate personas, Patrem & Spiritum sanctum, sed nesciunt alium DOMINUM Deum nostrum Zebaoth, præter Christum. Huic enim  
E 3      subijciunt



subiiciunt cœlum & terram, & vniuersum orbē: hunc exaltant super omnes creaturas: hunc collocant ad dextram Dei: huic dant nomen super omne nomen, vt in nomine eius omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium & infernorum: huic soli deferunt illum honorem, vt non sit aliud nomen sub cœlo inter homines datum, in quo oporteat nos saluos fieri. Quare, vbi-  
cunq; Scripta Prophetica deferunt Deo honorem regni, omnipotentia, & salutis, sentiamus eum deferri **DOMINO** nostro Iesu Christo, qui est vn̄a cum Patre & Spiritu sancto, Deus laudandus in secula.

## Psalmus 94.

*Deus vltionum DOMINVS, &c.*



**E**cclēsia Dei, quam Christus ipse vocat pusillum gregem, suos semper habuit iam inde ab initio cō-  
diti orbis hostes, non solum ex-  
ternos, verūmetiā, quod est lon-  
gè omnium periculosissimum, do-  
mesticos. Cum enim filius Dei sus-  
cepisset, pugnandum cum satana; & conterendam po-  
tentiam eius, vt humanum genus peccato & morte li-  
beraret, & quotquot fiducia eius Deum patrem in Spi-  
ritu sancto inuocaturi essent, seruaret: satan non po-  
tuit teneri, quin quoquo modo posset, opprimeret eos,  
qui filio Dei, per fidem coniungerentur. Itaq; etsi be-  
neficium



neficium filij Dei oblatum est vniuerso humano gene-  
 ri: tamen cum satan factus sit, propter hominis pec-  
 catum, princeps, & vt Paulus ait, deus huius seculi, des-  
 tinet in potestate sua maximam hominū partem, quos  
 etiam excitare solet, vt reliquos, qui filium Dei agnos-  
 cunt & profitentur, immani odio prosequatur, & per-  
 petuo extinctos cupiant. Nam, vt nihil dicam de crus-  
 delitate Caini erga Abelem, Ismaelis erga Isaacum,  
 Esau erga Iacobum: quid potest immanius cogitari,  
 quàm quod Pharaon rex Ægypti, in Israelitas, in quos-  
 rum gente vera erat illis temporibus Ecclesia Dei,  
 designauit? Quantum mali pertulerunt Israelitę, cum  
 iam in sua terra habitarent, à finitimis gentibus? Sed  
 transeamus ista, quę satis copiosè in libro Iudicum de-  
 scripta sunt. Veniamus autem ad tempora Prophetę *1. Sam. 7.*  
 Samuelis, & regum, Saulis ac Dauidis. Hostes Eccle-  
 się Dei tum erant, non solum exteri illi Philistini, sed  
 etiam domestici sacrificuli, ac satellites eorum. Et qui  
 videbantur Ecclesię capita, cum vera Ecclesia pugnas-  
 bant. Quomodo enim tanto tempore constitisset inter  
 Israelitas cultus idolorum, si principes & sacerdotes  
 hunc non essent tutati? Samuel multis annis vix impe-  
 trare potuit, vt vel aliqua saltem impia sacra aboleren-  
 tur. Quod manifestum argumentum est, impios prin-  
 cipes, impia sacra in populo Dei defendisse. Inter ista  
 quę potuit esse pax, quę tranquillitas piorum, hoc  
 est, verę Ecclesię Dei? Vide mihi Saulem ipsum. Hic  
 vt erat Monarcha in Israel, ita videbatur summus Ec-  
 clesię Dei tutor. Sed non erat, qui & hypocrisi & ty-  
 rannide sua maiorem internecionem Ecclesię Dei mis-  
 naretur. Scriptura diuina perspicue testatur, arcam  
 Dei,



Dei, quæ tum summum religionis Sacramentum fuit, neglectam, ac ne requisitam quidē fuisse. Quæ res haud obscure significat, veram Dei Ecclesiam sub Saule, & ab ipso Saule maxima accepisse incommoda. Quid, quod Saul tot vno tempore innocentes Sacerdotes, vna cum magna ciuium multitudine in Nobe immanissimè trucidauerit? Non hoc illud solum meditabatur Satan in Saule, vt vna tantum ciuitas deleretur, sed vt Ecclesia Dei opprimeretur. In persequendo autem Dauide, quale, obsecro, putas fuisse Saulis consilium? In summo quidem cordis fastigio cogitabat successorem regni sui tollere: in recessu autem & latebris cordis cogitabat, autore Satana, Christum, verum Ecclesie seruatorem, è Dauide venturum, tollere, adeoque vniuersam Ecclesiam Dei perdere.

Quæ pericula Ecclesie, cum David ob oculos mentis suæ posita haberet, ac re ipsa quoque perferret, accenditur & inflammatur Spiritu sancto, vt erumpat in hunc Psalmum, qui est, iuxta Hebræos, nonagesimus quartus, in quo precatur, vt Deus tueatur Ecclesiam suam aduersus hostes eius, & conseruet eam, oppressis hostibus, in omnibus periculis.

Commemoratur autem in hoc Psalmo immanitas hostium Ecclesie: commemoratur etiam securitas eorum, in tam foelici rerum suarum successu. Sed additur quoque seueritas, qua Deus afflictorus est eos, præter omnem ipsorum expectationem. Additur & clementia, qua Deus complectitur inuocantes nomen suum ex fide, vt Ecclesia consolationem habeat in omnibus aduersis: & confidat veram sibi & perpetuam salutem apud Deum patrem, per filium eius, Iesum Christum repositam



repositam esse. Non enim sentiendum est, quòd Dauid præcinuerit hunc Psalmum suæ tantum ætati: sed quòd etiam præcinuerit eum omni posteritati, & Ecclesiæ omnium temporum: Quæcunq; inquit Paulus, præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Neq; enim Ecclesia tunc tantum hostes habuit, nunc autem hostibus caret, sed vt virulentia Satanae aduersus filium Dei, & Ecclesiam eius, nunquam intermoritur: ita semper excitat organa sua, quibus Ecclesiam, martyrio, vt nunc loqui solent, afficiat.

Ac profecto, ea nunc sunt tempora, vt satan periculum extremarum suarum virium in opprimenda Ecclesia facturum videatur. Postquam enim pia doctrina his temporibus, diuina clementia, restituta est Ecclesiæ, hostes primum quidem conati sunt, admirabili arte, & astutissimis consilijs, cursum Euangelij impedire. Deinde, cum togata consilia non successissent, sumpserunt arma, prætextu quidem restituendæ publicæ tranquillitatis, sed certissimo instituto delendæ piæ doctrinæ, id quod res ipsa maximo Reipub. & Ecclesiæ occasu declarat. Cum enim foelicem habuerint *Commentarius* successum belli, & reportauerint hætenus externam *huius Psalmi* victoriam, nihil est, quod non præfractè & impuden- *scriptus est, in* ter (victoria enim natura sua insolens est) aduersus pi- *incursum Hispa-* am doctrinam moliantur. Condunt nouas reformatio- *norum in Germa-* nes, abolent sacra iuxta verbum Domini constituta, re- *niam, dum insti-* stituunt veterem idolatriam, eijciunt pios doctores *tuebatur noua* in exilia, conijciunt nonnullos in vincula, cogunt vio- *Reformatio,* lenter homines impias Missas accedere & venerari, *quam vocarunt* grassantur hostiliter in eos, qui impia ipsorum decre- *Interim.*

F ta non



ta non amplectuntur, ac mulierculas etiam & pueros crudeliter trucidant. Quid plura? miserrima est his tristissimis temporibus facies Ecclesiæ, ac Reipub. ac deoq; planè id nunc quoq; impletur, quod hic noster Psalmus commemorat: Populum tuum, inquiens, humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt.

Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt. Et alius Psalmus:

*Psalm. 88.* Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis.

Exaltasti dextram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos eius.

Auertisti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello.

*Psalm. 43.* Et alius: Nunc repulisti & confudisti nos, & non es egressus Deus in virtutibus nostris.

Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros; & qui oderunt nos, diripiebant sibi.

Ac mox: Posuisti nos opprobriũ vicinis nostris, subfannationẽ & derisum his qui in circuitu nostro sunt.

An non hi Psalmi magis videntur texere historiam huius nostri temporis, quàm cõmemorare, quæ quondam in Ecclesia Israelitarũ gesta sunt? Quare, cum hic 94. Psalmus, quem interpretandum suscepimus, nõ minus ad nostra, quàm ad Dauidis tempora pertineat, excipiamus eũ obujs manibus. Et quia videmus Ecclesiæ nostræ ætatis planè eadem aduersa contingere, quæ quondam Ecclesiæ Israelitarum contigerunt, leuemus capita nostra, & concipiamus certissimam fiduciam, in DOMINO Deo nostro, per Iesum Christũ filium eius, seruatorem nostrum, quod etiam secutura sit gloriosa redemptio.



redemptio, vt clementiam Domini in Ecclesia eius perpetuò celebremus.

Porro, hic Psalmus constat, iuxta Hebræorum distinctionem, viginti tribus versiculis. Ac duo primi versiculi sunt propositio Psalmi.

1. *Deus vltionum D O M I N E, Deus vltionum illustreris.*
2. *Exalteris, qui iudicas terram: redde retributionem superbis.*

His duobus versiculis proponitur status huius Psalmi. Precatur enim Deum, vt ad vindicandam & illustrandam gloriam nominis sui, non sinat impios tam impunè & tanto tempore in Ecclesiam grassari: sed animaduertat in eos seueriter, vt Ecclesia liberata, potentiam & clementiam eius semper prædicet.

Tribuit autem Deo duo insignia epitheta. Vocat eum, Deum vltionum, seu vltorem, & Deum iudicem terræ. Tribuuntur quidem Deo aliàs varia epitheta, præsertim ducta à clementia eius. Vocatur enim miserator, misericors, patiens, longanimis, & multa id genus alia. In hoc autem loco tribuitur ei epitheton, ductum à seueritate eius. Vocatur Deus vltor, seu Deus vindex, quod & ad significandam affectus vehementiam, & veritatis certitudinē, duplicatur. Deus, inquit, vltor D O M I N E, Deus vltor illustreris. Maluit autem Psalmus in præsentia hoc epitheto, quàm alio vti, propterea quod sit aptissimū ad ea quæ hîc est precaturus: videlicet, vt Deus vlciscatur & vindicet gloriam suam, & puniat hostes Euangelij sui, ne tanto tempore, maxima diuini nominis contumelia, impunè in Ecclesiam Dei grassentur.



Sed hoc epitheton congruit Deo, duabus de causis. Vna est, quòd Deus seueriter exigat, ne quisquam hominum suo sibi arbitrio ultionem vsurpet, sed eam DOMINO Deo nostro relinquat. Quare grauissimè peccant, & designant crimen læsæ diuinæ maiestatis, qui iniuriam sibi illatam, priuata sua libidine ac temeritate vlciscuntur.

Altera est, quòd sicut Deus reseruat sibi ultionem contumeliæ & iniuriæ, vel sibi, vel suis illatæ: ita nihil certius est, quàm quòd eam ultionem suo tempore seuerissimè inferat, et tarditatem grauitate compenset. Quare epitheton vltoris cõuenit Deo aptissime. Quo & admoneri debemus timoris Dei & tolerantia, vt non solum non vlciscamur ipsi iniuriam nobis illatam, sed etiam patienter expectemus ultionem Dei, & perseueremus interea temporis in officio diuinæ vocationis.

Alterum epitheton est, Iudex terre. Deus enim non solum vlciscitur, & punit manifestos hostes suæ Ecclesiæ: verumetiam iudicat vniuersum orbem terræ, & punit omnes impios, in omnibus gentibus: Deus statuit, inquit Paulus, diem, in quo iudicaturus est orbem terrarum cum iustitia, per eum virum, per quem decreuerat, fide præstita omnibus, cum excitarit illum ex mortuis. Et iterum: Colligis tibi ipsi iram in die iræ, quo patefiet iustum iudicium Dei, qui redditurus est vnicuique iuxta facta sua. Est & hoc epitheton aptum ei argumento, quod in hoc Psalmo instituitur. Precatur enim Deum, vt vel tandem reddat impijs, quod merentur. Hoc enim est iusti iudicis. Quod ergò dicit, habet hanc sententiam: TU DOMINE Deus noster, vocaris  
Deus



Deus ultor seu vindex : quæso igitur te , vt hoc epitheton tuum illustres , ac publicè testificeris , in opprimentis hostibus Ecclesiæ tuæ , te verè esse eum , qui diceris , ultorem & vindicem. Adhæc , tu DOMINE Deus noster , vocaris iudex terræ : precor igitur , vt exaltes , vt hoc nomen tuum coram omnibus hominibus patefiat , & magni fiat , vt iusto iudicio tuo retribuas impijs superbè & contumeliosè , Ecclesiæ tuæ insultantibus , omnem iniuriam , quam tibi & tuis immani semper crudelitate inferre pergunt.

Sed quid illud est , quòd toties mandatur nobis , vt diligamus non tantum amicos , verum etiam inimicos nostros , ac beneprecemur deuotentibus nos , & tamen hic Psalmus ex professo petit inimicorum suorum interitum , ac ultionem ? Et quidem vsitatissimum est , præsertim in Psalmis , quòd petatur , vt pereant aduersarij nostri : Confundantur , inquit , & reuereantur simul , qui quærunt animam meam , vt auferant eam . Et : Fiant filij eius orphani , & vxor eius vidua . Nutantes transferantur filij eius , & mendicent , eijciantur de habitationibus suis . An non hoc est petere vindictam ? Sed aliud est carne , & priuato arbitrio , aliud spiritu , & diuino zelo vindictam petere . Nam caro quærit naturam suam , non quæ Dei , sed quæ sua sunt : & affectus carnis , vt Paulus ait , inimicitia est aduersus Deum . Quare , qui sunt adhuc carnales , & petunt vindictam ex carne , non quærunt gloriam Dei , sed potius suam ipsorum gloriã , & commodum , contra Deum : ideoq; grauius peccant , etiamsi aliquoties vindicta , quæ petitur , per se non sit iniusta . Spiritus autem quærit , quæ Dei sunt ; & hoc vnum agit , vt gloria nominis Dei



promoueat, etiamsi id videatur nonnunquam magno nostro incommodo fieri. Quare, qui ex spiritu petunt vindictam, tantum abest, vt aduersus Deum peccent, vt potius voluntati Dei, impietatem ex animo odiens ris, & punitam cupientis, obedientissimè seruiant. Sume tibi huius rei exemplum ab ira patrumfamilias in peccata puerorum suorum. Si quis enim paterfamilias, adhuc carnalis, viderit puerum suum tale designare peccatum, quod cum rei familiaris dispendio coniunctum sit, tanta ira inflammari solet, vt præ animi impotentia non queat consistere. Etsi autem peccatum pueri dignum est ira, is tamen carnalis paterfamilias, non irascitur propter peccati iniquitatē coram Deo, sed propter rei familiaris iacturā. Nam si puer sic peccauerit, vt non videatur aliquot domesticum incommodum ex eo accidere: videlicet si abutitur nomine Dei ad execrationes, aut mendacijs & turpitudini assuescat: vix dignum reputat paterfamilias, quod verbis paulo asperioribus reprehendat. Hoc perspicuum est argumentum profani animi: & cuius prior illa ira, alioqui per se non iniusta, sit prorsum carnalis, & coram Deo abominabilis. Alius quispiam pius paterfamilias, inuehitur quidem irato animo in œconomicum pueri peccatum: sed commouetur longè omnium vehementissimè aduersus ea pueri peccata, quæ sunt in DOMINUM Deum nostrum contumeliosa. Hæc est verè spiritualis ira, & Deo grata, qualis fuit ira Mosi in idolatras, ira Phinees in scortatorem Israelitam, & ira Eliæ in sacrificulos Baal. Sic etiam sentiendum est de cupiditate vindictæ. Hæc enim cupiditas tunc accepta est Deo, cum proficiscitur è spiritu, qui verè gloriam

riam



riam nominis Dei quærit. Tunc autem abominabilis est Deo, & carnalis, cum proficiscitur è carne: quæ nõ nisi sua commoda spectat, etiam si gloria nominis Dei obscuretur aut opprimatur. Accedit huc, quod alius est charitatis, alius fidei affectus. Charitas, vt Paulus ait, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam in æternum vescitur carnibus, si esca offendit fratrem. Charitas optat anathema à Christo esse pro fratribus. Quare pñ, iuxta charitatis ingenium, nullum hominem, quamuis capitalem hostem, & impium, execrantur: sed precantur cuius verã resipiscentiam, & perpetuam salutem. Fides autem cõparat sese ad seueritatem diuini iudicij, quæ verbo Dei reuelatur. Quare, quos videt verbo Dei maledici & damnari, eos etiam ipsa maledicit & damnat, vt, et si pñ cupiunt, iuxta charitatis ingenium, omnes homines saluos: tamen iuxta fidei ingenium, etiam parentes & liberos condemnant, si hanc, vt ita dicam, crudelitatem, obedientiam, quæ verbo Dei debetur, exegerit,

Ac breuiter, necessarium est, vt diligamus Deum ex corde, & obediamus ei ex animo. Cum igitur Deus præceperit nobis generali mandato, vt proximum, siue amicum, siue inimicum, siue pium, siue impium diligamus, obsequendum est diuino mandato, sine omni tergiversatione. Sed si personali mandato, & speciali spiritus vocatione, iusserit nos impium execrari, etiam sic obediendum est, vt officium nostrum, in omnibus, DOMINO Deo nostro probemus. Hactenus propositio Psalmi.

Sequitur nunc narratio seu expositio impietatis, crudelitatis, & securitatis hostium Ecclesiæ, contra quos precatio huius Psalmi instituta est.

3. *V/que-*



3. *Vsquequo impij DOMINE, vsquequo impij exultabunt?*
4. *Effutient, loquentur fastuosè, gloriabuntur magnificè omnes operarij iniquitatis?*
5. *Populum tuum DOMINE conterunt, & hæreditatem tuam affligunt.*
6. *Viduam & aduenam interficiunt, & pupillos occidunt.*
7. *Et dicunt: Non videt DOMINVS, nec intelligit Deus Iacob.*

Tria sunt, quæ Psalmus exponit de hostibus & persecutoribus Ecclesiæ. Vnum est, diuturnitas fœlicitatis eorū in impietate. Vsquequo, inquit, impij, vsquequo impij exultabunt? Hæc locutio figurata est duplici schemate, videlicet, interrogatione, & repetitione. Nam simplici loquendi figura diceretur: Impij sunt fœlices multo tempore, & gloriantur arroganter de sua fœlicitate. Maluit autem Spiritus sanctus figuratè quàm simpliciter loqui, vt hoc dicendi modo vehementiam affectus magis exprimeret, & indignationem suam aduersus impios significantius exponeret. Nihil enim indignius est, quàm quòd impijs, & peccatoribus, & operarijs iniquitatis, accidere videmus. Suscipiunt aduersus Ecclesiam Dei cruenta consilia, & in his sunt fœlicissimi. Consequuntur prosperissimum instituti sui euentum, & reportant victoriam gloriosissimam: ideoq; mirum in modum exultant, & gloriantur de sua fœlicitate. Iactant eam in omnibus plateis & tonstrinis. Proñciunt ampullas & sesquipedalia verba. Et quia fœlicitas huius terræ, natura sua insolens est, idcirco non tantum gaudent & exultant  
in sinu



in sinu suo: sed etiā insultant pijs cōtumeliosissimè, lo-  
 quuntur aduersus eos dura, & minātur eis graua. Nec  
 est vllus vel finis vel modus iactantiæ & insultationis  
 eorum. Et hæc agunt, non vno tantum & altero die,  
 sed longo tempore, & multis annis. De hac autem im-  
 piorum foelicitate, multa & magna est querela pio-  
 rum, etiam in alijs locis scripturæ: Zelauit, inquit ali-  
 us Psalmus, super iniquos, pacem peccatorum videns. *Psalm. 73.*  
 Quia non est respectus mortis eorum, & firmamen-  
 tum in plaga eorum. In labore hominum non sunt, &  
 cum hominibus non flagellantur. Et Abacuc: Quare *Abac. 1.*  
 impius conculcat iustiorē se? Et Hieremias: Quare *Hier. 12.*  
 via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui præ-  
 uaricantur? Extant etiam varia exempla huius foelici-  
 tatis. Pharaos usus est multis annis prosperrima fortu-  
 na in opprimendis Israelitis. Philistini grassantur lon-  
 go tempore foelicissimè in populū Dei. Saul hypocri-  
 ta & tyrannus regnat in Israel 40. annis. Quod tempus  
 visum quidem est in externa politeia foelicissimum,  
 sed Ecclesia Dei interea miserrimè affligitur. Negligi-  
 tur arca Dei. Obtinēt cultus & sacrificia, à verbo D O-  
 M I N I aliena. David & multi alijs sancti viri exulant.  
 Innocentes sacerdotes interficiuntur. Itaq; impij. op-  
 pressis pijs, foelicissimè dominabantur. Sed quid ne-  
 cesse est vetera exempla repetere, cum in promptu  
 sint exempla nostri temporis? Quid foelicius consilijs  
 Pontificum aduersus piā doctrinam Euangelij?  
 Quā prospere superioribus annis bellatū est aduersus  
 principes, veræ Ecclesiæ nutricios? & aduersus ci-  
 uitates, Euangelij Christi hospitia? Quā foeliciter  
 adhuc instituta aduersariorum piæ doctrinæ promo-  
 uent?

G uent?



uent? Libet igitur & nobis exclamare: Vſquequo peccatores DOMINE? vſquequo peccatores gloria-  
buntur? Sed quo conſilio Deus iſta toleret, & quis  
tandem ſit impiorum euentus, Pſalmus poſtea expo-  
net. Nunc pergemus in explicacione eorum verſiculo-  
rum, quos propoſuimus. Alterum enim, quod in his  
narratur, eſt crudelitas & immanitas impiorum. Po-  
pulum, inquit, tuum DOMINE percutiunt, ſeu contes-  
runt. Hæreditatem, ſeu Eccleſiam tuam affligunt: &  
quod omnia humana iura ſuperat, viduas, peregrinos,  
& pupillos crudeliter trucidant. Nullam habent ratio-  
nem vel ſexus, vel ætatis. Viduæ, & pupilli, inuiolati  
ſunt, & ſacroſancti non in lege tantum Moſi, ſed etiam  
inter exterâs gentes, quæ aliquo ſaltem humanitatis  
affectu præditi ſunt. Hoſtes autem Eccleſiæ tam im-  
manes ſunt, vt erga mulierculas viduas, quarum maris  
tos antea trucidauerunt, & erga infantes, quorum pa-  
tres interfecerunt, omnem humanū affectum exuant,  
Recitatur & aliâs in ſcriptura hæc crudelitas. Poſue-  
runt, inquit alius Pſalmus, morticina ſeruorum tuorū  
eſcas volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum be-  
ſtijs terræ. Effuderunt ſanguinem eorum tanquam a-  
quam in circuitu Hieruſalem, & non erat, qui ſepeli-  
ret. Et Chriſtus: Tradet, inquit, frater fratrem in mor-  
tem, & pater filium, & inſurgent filij aduerſus paren-  
tes, & morte afficient eos. Et iterum: Veniet tempus,  
vt quiſquis interficiat vos, videatur cultum præſtare  
Deo. Non recenſebo hîc exempla Pharaonis, Saulis,  
Herodis, qui immanitate ſua, qua in Eccleſiam Dei  
graſſati ſunt, ne infantibus quidem pepercerunt. Con-  
ſidera mihi exempla noſtræ ætatis. Quantam ſæuitiam  
exercuea

*Pſalm. 79.*



exercuerunt, superioribus diebus impij N. in ciues, mulieres & infantes vrbis N. idq; dum hi in media pacificationis tractatione nihil hostile metuerent. Quid ergo est, quod homines in persecuenda Ecclesia omnem humanum affectum sic exuant? Hoc videlicet est, quod satan, qui agit in filijs incredulis, fertur perpetuo & inexplebili odio aduersus filium Dei. Quare teneri non potest, quin quoscunq; viderit esse membra filij Dei per fidem, in eos omnia saeuitie & immanitatis genera expediat. Hæc autem idcirco nobis commemorantur, vt persecutionum magnitudine non offendamur, nec animo frangamur: sed contra audentiores eamus, & in vocatione nostra perduremus: certo confisi, quod cum qui in nobis est, maior sit, quam qui est in mundo, conseruemur in medijs etiam sequissimarum persecutionum procellis.

Tertium, quod in his versiculis narratur, est securitas impiorum. Etsi enim impij designant coram Deo impijssima, & coram hominibus immanissima: tamen in tam horrendis sceleribus sunt securissimi, & dicunt in recessibus cordium suorum, D O M I N U S non videt, Deus Iacob non intelligit. Existimant, quod Deus, aut non curet res humanas, nec audiat gemitus piorum, nec videat immanitatem impiorum: aut si curat, non abominetur, non detestetur istam immanitatē: sed potius approbet eam, & agnoscat ipsam pro eximio & sacratissimo cultu. Quomodo enim detestaretur illa, ad quæ conficienda tam foelices præbeat euentus? Et quomodo complecteretur suo fauore eum populum, qui iactat quidem se esse Ecclesiam Dei: sed quem tradat hostibus tam crudeliter mactandum? Non dissimilis



*Deut. 29.*

lis securitas describitur aliàs, apud Moſen in Deuteronomio: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei. Et in Pfalm. 9. Dixit in corde ſuo, oblitus eſt Deus. Et mox: Dixit in corde ſuo, non requiret. Ac iterum: Dixerunt, quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excello? Et in Eſaia dicunt impij: Percuſſimus foedus cum morte, & cum inferno pactum fecimus. Et in alio Propheta: Non videt nos, inquiunt, **D O M I N V S**, dereliquit **D O M I N V S** terram. Huc etiam facit, quod Eccleſiaſtes dicit: Quia non proferatur cito ſententia, filij hominum abſq; timore vlllo perpetrant mala. In Euangelio quoq; ſeruus nequam, quia videt dominum ſuum tardare, fit ſecurus, & percutit conſeruos ſuos.

*Ezech. 9.*

Quid igitur dicemus? Num quia impij ſecurè graſſantur in Eccleſiam Dei, & foeliciter peccant, **D O M I N V S** non videt, non obſeruat, nec puniet? Certè videt, certè obſeruat & puniet. Narrationem ergo crudelitatis & ſecuritatis impiorum ſequitur refutatio, ſeu reprehenſio eorum. Sic enim pergit Pfalmus canere:

8. *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite.*
9. *Qui plantauit aurem, non audiret? qui formauit oculum, non aſpiceret?*
10. *Qui erudit gentes, non argueret? qui docet hominem ſcientiam.*
11. ***D O M I N V S** ſcit cogitationes hominis, quòd ſint vanæ.*

Suprà in verſiculo ſeptimo, impij vocarunt Deum, Deum Iacob: Non intelligit, inquiunt, Deus Iacob. Hoc cognomen debuiffet eos admonere, quod Deus videat,



videat, & intelligat gemitus piorum, & tyrannidem impiorum. Non enim ignotum est, quæ fuerint occulta consilia Esau aduersus fratrem suum Iacob. Sed ea omnia vidit Deus, & seruauit Iacobum. Quare, nisi impij prorsum essent insipientes, cæcati & stupidi, facile ex ipsa Patriarchæ Iacob mentione intelligerent, Deum non negligere piorum gemitus, nec approbare impiorum tyrannidem aduersus pios.

Sed recensentur admiranda opera Dei in hominis creatione, vt his admoniti, attollamus mentes nostras, & agnoscamus Deum summa cura & solitudine Ecclesiam suam complecti, & aduersus impiorum consilia tueri.

Primum enim, admirabile opificium in homine, ac in alijs quoq; animantibus, est auris. Et impositum est hoc organon capiti, non sicut lutum adhæret rotæ, sed sicut radix arboris infixæ est terræ, vt non tam creatum, quam plantatum esse dicatur. Quid autem dicam de virtute & actione huius organi? Vulgò aiunt, Cōsuetæ vilescunt, ideoq; miracula & beneficia huius sensus à paucis obseruantur. Sed profectò, si quis rectè perpenderit, omni admiratione plenum est, quòd hoc organon sic constitutum sit, vt discriminatim percipiat omnia genera soni. Et quantum sit beneficium, ex ijs hominibus, qui natura aut casu surdi sunt, ac ex rebus inanimis, intelligi potest. Huius autem tam admirabilis organi, & tam utilis sensus excogitator, creator & plantator est DOMINVS Deus noster: Aures audientem, inquit Salomon, & oculum videntem, vtrunq; fecit DOMINVS.

Quare fieri non potest, quin Deus opifex & plan-

G 3 tator



tator auris, audiat de cœlo, non solum tonitrua illa, quæ in aëre sonant, verumetiam gemitus & voces piorum suorū clamantiū ad se diu noctuq; audiat quosque gloriosas illas iactationes, & graues minas impiorum aduersus pios. Nec est, quod existimes Deum habitare in cœlo sublimius, quàm quod audire possit ea, quæ in terris, aut etiam in cordibus vel piorum vel impiorum sonant. Dicit enim per Prophetam: Cœlū & terram ego impleo. Et Paulus: Non longè, inquit, abest ab vnoquoq; nostrum. Per ipsum enim viuimus, & mouemur, & sumus. Et in Psalmo dicitur: Prospexit de excelso sancto suo. D O M I N V S de cœlo in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorū, & solueret filios occisioni destinatos. Quod cum verè ita se habeat, cur pius, sub cruce ad Deum ingemiscens, & Deum in nomine seu ex fide filij eius Domini nostri Iesu Christi inuocans, dubitaret, aut metueret, ne exaudiretur? Aut quomodo impij possent impunè ferre, quod coram Deo, omnia audiente, tam gloriosas voces, & tam graues minas aduersus Ecclesiam suam impudenter proijciant?

Deinde, non minus admirabile organon est oculus. Hic paruus est orbiculus, sed ex tam varijs thecis aut tunicis compositus, vt ex eo industria opificis manifeste cognoscatur. Quod autem ad virtutē & actionem eius attinet, progredere, quæso te, in latum campum, & suspice cœlum sursum, ac despice terram deorsum, quam immensum spacium, tam minutus orbiculus visu suo comprehendit? Et hoc organon creauit & formauit D O M I N V S Deus noster. Quid igitur dicemus? Num is qui tam clarum, tam mirandum videndi organon



organon creauit, cæcus esset? aut non videret ea quæ in terris, vel ab impijs aduersus Ecclesiam Dei perpe-  
trantur, vel à pijs sufferuntur? In Psalm. 33. dicitur: O-  
culi DOMINI super iustos, & aures eius in preces eo-  
rum. Vultus autem DOMINI super facientes mala, vt  
perdat de terra memoriam eorum. Et alias: DOMI-  
NVS in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in  
terra. Ac in alio Psalmo: DOMINVS numerat gemitus  
piorū, & colligit lachrymas eorū in virem. In Esas  
ia: Super quem, inquit, respiciam, nisi super humilem  
& tremem sermones meos? Sciant igitur pijs, De-  
um tunc in propinquo esse, & aspicere ipsos clemen-  
ter, cum sunt afflicto, contrito, & humiliato corde, hoc  
est, cum Deus videtur longissimè abesse. Sciant & im-  
pijs, Deum, qui est scrutator cordis & renum, tunc ma-  
ximè omnium aspicere consilia & cogitationes ipso-  
rum aduersus pios, cum putant se absconditissimè las-  
tere. Quare cohorrescant ad presentiam tantę maiestas-  
tis & seueritatis, ac resipiscant ab impijs suis conatibus.

Præterea, Deus corripit seu erudit gentes. Hoc il-  
lud est, quod Paulus ad Romanos scribit, gentes diuis-  
nitas habere cognitionem legis, ex qua in conscientia  
sua, propter malefacta arguantur. Gentes, inquiens,  
quæ legem non habent, natura faciunt quæ legis sunt,  
(hoc est, habent natura conscientiam maleactorum.)  
Hæ legem non habentes, sibi ipsi sunt lex, qui ostens-  
dunt opus legis, (quod est accusare male factum, & ap-  
probare bene factum) scriptum in cordibus suis, simul  
attestante illorum conscientia, & cogitationibus inter  
se accusantibus, aut etiam excusantibus. Quod igitur  
Psalmus dicit, hanc habet sententiã: Deus in sculpsit nas-  
tura



tura in omnes homines iudicium legis, vt etſi carent lege ſcripta, tamen cum malefaciunt, reprehenduntur à ſua ipſorum conſcientia. Quæ reprehenſio non temerè in humano corde naſcitur, ſed eſt correptio ſeu eruditio Dei. Si ergò Deus arguit peccati omnes gentes, quamuis ſimpliciter peccantes, quomodo non argueret tandem peccati hoſtes Eccleſiæ Dei, qui non ſimpliciter, vt aliæ gentes, ſed immaniter, adeoq; plane ſatanicè peccant? Aliæ gentes, quæ ſunt alienæ à populo Dei, non euadunt impunes in ſcleribus, quæ aduerſus ſe inuicem designant: & euaderent impunes hi, qui crudeliſſima queq; aduerſus Eccleſiam Dei, atq; adeò aduerſus Deum ipſum designant? Non euadent, non certè euadent. Exurget enim Deus, & diſſipabuntur inimici eius, & fugient, qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficient: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic peribunt peccatores à facie Dei.

Adhæc, D O M I N U S docet hominem ſcientiam, hoc eſt, quidquid homines habent iudicij, ſcientiæ, & cognitionis, vel de diuinis ac cœleſtibus, vel de humanis ac terrenis rebus, non eſt temerè in humana ratione natum, ſed eſt donum Dei: Quid habes, inquit Paulus, quod non accepisti? Quòd ſi Deus eſt donator cognitionis in homine, quomodo ipſe non cognosceret, quid impij conarentur, aut agerent aduerſus ſuam Eccleſiam? Quomodo omnis cognitionis autor ignoraret impiorum ſcelera, quæ maxime ſua, ad vindicandam Eccleſiam, ſcire & cognoscere intereſt?

Postremò, D O M I N U S, inquit, nouit cogitationes hominis, quòd vanæ ſint. Quid ergò dicemus? Num vana fuit cogitatio Moſi, cum cogitauit Iſraelitas educere

cere



cere ex Ægypto? Num vana fuit cogitatio Ezechiaë,  
 cum cogitauit serpentem æneum abolere, & D O M I N U M  
 aduersus blasphemias Saneheribi inuocare?  
 Num vana fuit cogitatio Petri, cum cogitauit, contra  
 edictum Pontificū, magis obediendum esse Deo, quam  
 hominibus? Nihil minus. Quod enim hęc dicitur: No-  
 uit D O M I N U S cogitationes hominis, quod vanę sint,  
 non intelligendum est de his cogitationibus, quas ho-  
 mines ex verbo D O M I N I, per Spiritum sanctum sus-  
 sciipiunt, (hęc enim sunt sanctę cogitationes) sed intel-  
 ligendū est de his, quas homines suscipiunt è sua ipso-  
 rum carne, & è suis humanis viribus, aut etiam ex ver-  
 bo D O M I N I, sed carnaliter intellecto. Hęc cogitatio-  
 nes, etsi plerunq; in recessibus cordiū ita latere solent,  
 vt ne ipsis quidem cogitatoribus notę sint, Deus ta-  
 men scrutatur eas, & cognoscit vanitatem & impietas-  
 tem earum. Sic Deus videt insipientem in corde suo  
 dicere: Non est Deus, quanquam insipiens existimet  
 se Deum maximè omnium colere. Sic Deus prospicit  
 de cœlo super filios hominum, & videt omnes decli-  
 nare, simul inutiles esse, nec esse qui faciat bonum, ne  
 vnum quidem: quanquam magna hominum pars ve-  
 ram sibi iustitiam & bonitatem, etiam iureiurando tri-  
 buat. Sic Deus intuetur omnes homines, & inuenit es-  
 os natura mendaces, etiamsi longè aliud de seipsis sen-  
 tiant. Cum igitur Deus cognoscat vanitatem omnium  
 hominum, quæ fieri posset, quod non cognosceret eti-  
 am crudelitatem & immanitatem hostium Ecclesię  
 suę? Certè cognoscit eam tam perspicuè, vt sit eã suo  
 tempore horrendo supplicio visitaturus.

H

12. Beatus



12. *Beatus vir, quem tu erudieris DOMINE, & de lege tua docueris.*
13. *Vt capiat mitigationem (seu tranquillitatem) à diebus malis, donec fodiatur impio fouea.*
14. *Quia non repellet DOMINVS plebem suam, & hereditatem suam non deseret.*
15. *Donec iustitia conuertat iudicium, & post hac omnes recti corde (exultabunt.)*

In superioribus versiculis refutauit Psalmus securitatem impiorum, quæ erat posterior pars narrationis. Nunc reuertitur ad priorem partem, in qua inquirebatur, vsquequo peccatores & impij iactantiam & crudelitatem suam impunè ferrent. Ad hanc ergò interrogationem respondet nunc Spiritus sanctus, exponens, definita esse tempora fœlicitatis impiorum, post quæ veniat perpetuus eorum interitus. Sed priusquam hoc exponit, docet pios interea temporis affligi quidem, non tamen suprâ quàm ferre queant. Beatus, inquiens, vir, quem tu erudieris DOMINE. Hic mundus iudicat Ecclesiam longè omnium infœlicissimam esse, quòd cum tam crudeliter ab hostibus suis tractetur, videatur à Deo prorsus deserta & abiecta. Quis enim diceret Deum fauere illi populo, cuius hostibus dat victoriam, & cuius viduas & pupillos sinit tam crudeliter occidi? Sed Spiritus sanctus pronunciat hoc loco contra iudiciũ mundi, Ecclesiam in tantis aduersis fœlicem esse. Et si enim grauissimè affligitur, tamen habet filiũ Dei doctorem Euangelij sui, & mitigatorem malorum, donec verè ac perpetuò liberetur. Beatus, inquit, vir, quem tu DOMINE erudieris,  
& do



& docueris de lege tua. Lex Dei hoc loco non proprie sumitur pro præceptis, seu decretis, de quibus Paulus dicit, quòd ostendant peccatum & occidant: sed generaliter pro doctrina verbi Dei, iuxta propriam significationem Hebrææ dictionis Thora, quod à decendo deducitur. Et in Esaia, nomine legis, doctrina Euangelij intelligitur: De Zion exhibit lex, &c. Quod igitur Psalmus ait: Beatus vir, quem tu DOMINE erudieris, & docueris de lege tua, vt capiat mitigationem à diebus malis, hanc habet sententiam: Ecclesia piorum foelix est, quòd etsi multa aduersa patitur, tamen doctrina Euangelij diuinitus sic eruditur, vt ex his malis magis capiat consolationem & mitigationẽ, quàm dolorem, donec veniat interitus impiorum, & perfecta salus piorum.

Obserua igitur mihi hoc loco, quòd cum Psalmus dicit, Deum docere ex verbo suo capere tranquillitatem à diebus malis: non autem dicit, docere eum dies malos non contingere: perspicue significet, eam esse sortem Ecclesiæ suæ in hoc mundo, vt habeat malos dies, & sit obnoxia omnibus generibus afflictionũ. Sententia enim lata est, nec retractatur, quòd omnes, qui pie volunt viuere, necesse habeant in hoc seculo persecutionem pati, & aduersis affligi. Multæ, inquit, tribulationes iustorũ. Et: Ecce, ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Et: In mundo afflictionẽ habetis: idq; fit præcipue duabus de causis. Altera, quòd Ecclesia, etsi non est de hoc mundo, tamen habet adhuc in carne communem cum humano genere in hoc mundo conditionem. Omnes enim homines ducunt originem suã ab Adamo, qui cum per inobedientiã à Deo defecerit,

H 2 cerit,



cerit, propagauit peccatum in omnem suam posteritatem. Propter peccatum autem imposita est crux & afflictio vniuerso humano generi: Maledicta, inquit, terra in opere tuo. In sudore vultus tui comedes panē, &c. Quare, cum Ecclesia sit pars humani generis, necesse habet eadem cum humano genere mala in hoc mundo ferre. Altera est, quod præter hanc generalem conditionem, satan sit infensissimus hostis Ecclesiæ, qui hoc vnum noctesq; diesq; meditatur, vt Ecclesiam magnitudine afflictionum offendat: et à fiducia in filium Dei, ad interuersionem trahat. Quare non hoc nobis agendum est, vt in summa tranquillitate, absq; omnibus aduersis in hoc mundo viuamus, (hoc enim fieri non potest) sed vt præparemus nos, ad fortiter ferenda, quæcunq; inciderint, aduersa.

Dices ergo: Si hæc est conditio Ecclesiæ Dei, quid ea est miserius? Miseria enim eius, præ alijs hominibus, duplicatur. Quid ergo ea calamitosius? Recte diceres, si hæc duplicata miseria non compensaretur alia ratione. Nunc autem bene habet. Magna est Ecclesiæ miseria in hoc seculo: sed & magnæ sunt consolationes ac mitigationes. Filius enim Dei erudit & docet eam de lege sua, hoc est, de doctrina Euangelij sui, vt etiam gaudium capiat ab afflictionibus: tantum abest, vt ab ipsis deglutiatur. Primum enim Euangelion filij Dei docet, quod peccata sint per ipsum coram Deo expiata, ideoq; afflictiones Ecclesiæ non sint amplius signa irati, sed propitij Dei. In Genesi extat Euangelion: Semen mulieris conteret caput serpentis. Extat & aliud, ad Abraamum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ex hoc Euangelio cognoscitur, quod maledictio,



dictio, quæ inuasit humanum genus, vertatur per semen Abrahamæ, per filium Dei, in benedictionem, ut quotquot in ipsum credunt, consequantur propter ipsum benedictionem remissionis peccatorum, benedictionem fauoris diuini, benedictionem in omnibus afflictionibus. Vnde & in Prouerbijs dicitur: Disciplinam DOMINI, fili mi, ne abiicias: nec deficias, cum ab ea corripieris. Quem enim diligit DOMINVS, corripit, & quasi pater filium complectitur. Vides igitur, quod Euangelion docet, aduersa non esse signa tyrannici, sed paterni animi in Deo erga Ecclesiam suam.

Deinde lex Dei, seu verbum & Euangelion filij Dei docet eos, qui, cum sint populus seu Ecclesia Dei, magnis aduersis affliguntur, in magna esse dignitate coram Deo, tantum abest, ut propter aduersa sint Deo abominabiles. In Psalmo sic dicitur: Si voluisses sacrificium, certè dedissem: sed holocaustis non delectaris. Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Cum Psalmus dicit, Spiritum contribulatum esse Deo sacrificium, perspicue significat, afflictiones piorum in magna esse coram Deo dignitate. Et in alio Psalmo dicitur: Iuxta est DOMINVS his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Hæc est manifesta concio, de afflictionibus Ecclesiæ, quod Deus iudicet eas dignissimas, quas non solum respiciat, & quibus præsto adsit, verumetiam quibus medeatur, & quas manibus suis, ut ita dicam, tractet ac mitiget. Sic & in Esaia dicitur: Habitans cum contrito corde, & humili spiritu, ut viuificet cor contritorum, &c. Qui locus docet afflictos fieri habitaculum seu templum Dei. Sicut & in Psalmo ait: Cum



ipso sum in tribulatione. Quanta autem dignitas est, esse templum Dei?

Præterea, verbum Dei docet, afflictiones Ecclesiæ non solum habere suam coram Deo dignitatem, sed afferre etiam maximam vtilitatem, tam corporalem, quam spiritualem. In Psalm. 71. dicitur: Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me. Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me. Vide mihi Iosephum. Quanta tam, obsecro, vtilitatē consecutus est ex eo, quod venditus fuerit à fratribus in seruitutem, & postea coniectus in carcerem? Ecce enim è carcere exaltatur in principatum Ægypti, & alit in fame vniuersum, tam genus suum, quam regnum Ægypti. Vide etiam Dauidem, is ab exilio assurgit in thronum regium. Itaque exilium, quod in oculis hominum videbatur casus è regno, erat coram Deo gradus ad regnum. Dies me deficeret, si commemorare vellem omnia exempla scripturæ, quibus tanquam sigillis & pignoribus, Deus passim testificatus est, aduersa esse gradus, quibus ad prospera peruenitur, vt præterea non dicā, ad quas virtutes animi parandas aduersa iuuēt. Quæ omnia, cum pijs considerant, cōcipiunt ex aduersis tantam mitigationē & tranquillitatem, vt in ipsis gaudio magis quam dolore afficiantur. Sic Moses potius elegit simul malis affligi cum populo Dei, quam temporarijs peccati commodis frui: maiores arbitratus diuitias, probrum Christi, quam Ægyptiorum thesauros. Sic Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilijs, quod digni habiti essent, vt pro nomine Christi contumelia afficerentur.



rentur. Sic Hebræi, in Epistola ad Hebræos, acceperunt direptionem facultatum suarum cum gaudio. Sic & Paulus ait: Gloriamur super afflictionibus, scientes quod afflictio pariat patientiam, patientia probationem, probatio spem, &c. Cum igitur doctrina Euangelij, sit organon illud, quo filius Dei erudit Spiritu sancto suo Ecclesiam, vt ex afflictionibus capiat consolationem & tranquillitatem, sectandum & complectendum est Euangelion filij Dei summo studio, vt consequamur ex eo *ἐν βρασι*, sicut Paulus loquitur, qua omnia aduersa ferre queamus.

Sed humanus animus non petit tantum mitigationem in malis, verum petit etiam liberationem à malis. Quantula enim hæc est consolatio, si Medicus quispiam dicat ad podagricum: Non possum à te podagram tuam tollere, necesse habes eam toto vitæ tuæ tempore sustinere: sed dabo operam, vt dolorem nonnihil mitigem? His verbis podagricus aliquantum recreatur quidem, animus autem eius non habet veram & firmam tranquillitatem. Sic et populus Dei dicere posset, se grato quidem animo accipere malorum suorum mitigationem: sed si nō accesserit vera liberatio, quid ipso calamitosius? Et, vt Paulus ait, si in hac tantum vita spem in Christo fixam habemus, maximè miserabiles omnium hominū sumus. Ad hanc ergo seu querelam seu obiectionem, ac simul etiam ad eam interrogationem, quæ supra, de diuturnitate foelicitatis impiorum proposita est, respondet Psalmus, cum addit: Donec fodiatur impio fouea.

Observabile dictum, quo docet Spiritus sanctus, Ecclesiæ diuinitus paratam esse, nō tantum mitigationem

nem



nem in malis, sed etiam liberationem à malis. Duo enim beneficia promittuntur & præstantur afflictæ Ecclesiæ. Alterum est, quòd Ecclesia etsi affligitur, non tamen opprimitur afflictione, sed datur ei *ἐνθάρσις*, vt possit ferre. Alterum, quòd afflictiones Ecclesiæ non sint sempiternæ, sed tantum temporariæ: & vt maxime sint diuturnæ, non tamen sunt perpetuæ: In te D O M I N E, inquit alius Psalmus, speravi, non confundar in æternum. Fieri quidem potest, vt confundar: sed fieri non potest, vt confundar in æternum. Et alius: Non dabit in æternum fluctuationem iusto. Habebit quidem iustus fluctuationem, sed non in æternum.

Porro, si afflictiones Ecclesiæ non sunt perpetuæ, quæso te, quàm diuturnæ erunt? Vsq; quo durabunt? Audi Psalmum: Donec, inquit, fodiatur impio fouea. Foueæ solent in terra effodi, & parari ad capiendos lupos & vulpes. Quæ bestiaè tantisper in gregẽ impunè seuiunt, dũ parantur foueæ, quibus capiantur. Impij autem sunt veri lupi & vulpes, imò & vrsi & leones aduersus Ecclesiã. Quare non diutius possunt in gregem Ecclesiæ grassari, quàm dum effodiatur fouea, in quam incidant, & perpetuò intereant. Sunt & foueæ, sepulchra, quibus mortui conduntur. Et mortui solent tantisper in feretro reponi, dum effodiatur sepulchrum, & obruantur terra. Impij autem sunt coram Deo verè mortui, imò iam dudum inceperunt coram eo compuscescere & foetere. Non feruntur ergò diutius super terram, quàm donec effodiatur sepulchrum eorum, vt sub terram condantur. Est & infernus fouea, atq; adeò profundissima. Vnicuiq; autem impio suus est locus, sua fouea in inferno. Quid ergò fit? Impius non potest

test



test perpetuò in Ecclesiam furere, sed tantisper, dum fouea eius in inferno effodiatur. Quo facto, veniet ei repentinus interitus. Habes igitur hoc dicto solutionem eius quæstionis, quam suprâ Psalmus proposuit. Vsquequo impij DOMINE, vsquequo impij gloriantur? Respondetur: Donec impijs fodiatur fouea. Habes & hoc dicto solutionem multarum similium quæstionum & dubitationum in causa afflictionum, quas impij in hac terra pijs inferre solent. In Psalm. 12. dicitur: Vsquequo DOMINE obliuisceris me in finem? Vsquequo auertis faciem tuam à me? Et mox: Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Respondetur dicto huius Psalmi: Donec fodiatur peccatori fouea. In Abacuc quæritur: Cur taces impio conculcante iustio rem se? Respondetur dicto huius Psalmi: Idcirco tacet, quia occupatur in effodienda impio fouea. Sic aliàs quæritur: Cur impij sunt in hoc seculo tamdiu foelices, & pijs infœlices? Respondetur dicto huius Psalmi, hoc idcirco fieri, quòd impijs nondum sit effossa sua fouea. Multi dubitant hoc tempore, quid sit, quòd Hispani tanto iam tempore impune grassentur in Ecclesias Germaniæ, & designent horrenda & abominanda quæuis scelera? Cur enim DOMINVS ad hæc tamdiu conniuet? cur fulmina sua in impios non mittit, vt pijs liberentur? Respondetur dicto huius Psalmi: DOMINVS ideò conniuet, quia occupatur adhuc in effodienda Hispanis fouea. Quæ postquam parata fuerit, ne dubites, quin derepente, & præter omnem ipsorum expectationem in eam precipitentur. Ecclesiastica historia commemorat insigne responsum, quod pius quispiam in negotio non dissimili



*Iulianus Imperator.*

mili insultanti ethnico dedit. Iulianus enim Imperator, suscepto bello aduersus Persas, grauius minatus est, se postquam reuersus esset à bello, vniuersam Christi Ecclesiam in imperio Romano deleturum. Ibi tum ethnicus quispiam impius irrisit Christianum, & interrogauit eum, Quid nunc, inquiens, agit fabri filius? Sic autem contumeliæ gratia vocabat Christum. Respondit Christianus, Fabricat, inquiens, Iuliano tuo feretrum. Nec longè post Iulianus periit. Hoc responsum planè illud est, quod Psalmus dicit: Foditur peccatori fouea. Impij enim non possunt diutius esse fœlices, quàm dū fabricatur eis feretrū, & effoditur ipsis fouea.

Sed quia suum est huius fabricationis & effossionis tempus, idcirco opus est spe & expectatione. Hinc est, quòd Spiritus sanctus toties in scriptura inculcat nobis expectandum & sustinendum esse DOMINVM, & sperandum in DOMINVM. Psalm. 26. Expecta DOMINVM, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine DOMINVM.

Psalm. 36. Expecta DOMINVM, & custodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram.

Psalm. 41. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor ei, salutare vultus mei, & Deus meus.

*Esa. 30.* Esa. In silentio & spe erit fortitudo vestra. Et iterum: Beati omnes, qui expectant eum.

Et Abacuc: Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit.

Porro autem, expectare DOMINVM, non est ignauiter stertere, & officium suum deserere: sed est primum, de clementia Dei per Iesum Christum filium eius bene confidere, & fidem suam promissionibus Dei  
confir-



confirmare. De inde est inuocare nomen **DOMINI** ex fide Christi, vt nos in aduersis conseruet. Adhæc, est stationem suam tueri, & in vocatione Dei perdurare. Postremo est, aduersa patienter & obediēter sine murmure & execratione tolerare, vt non quæras euasione[m] impietate, ac iniquitate, sed tantum inuocatione nominis Dei, & obedientia vocationis eius. Hæc omnia complectitur expectatio, quæ si sectati fuerimus, fieri non potest, quin tandem videamus foueam effosam, & impiorum ruinam, hoc est, veram nostram liberationem. Nam expectationē piorum haudquaquā vanam & irritam esse, confirmat versiculus, qui sequitur: Quia non repellit **DOMINVS** plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquit. Hæc est manifesta promissio de conseruatione Ecclesiæ. Ac initio quidem populus Israel dictus fuit hæreditas **DOMINI**, propterea quòd Deus elegisset præ omnibus alijs gentibus posteritatem Abraham, Isaac & Iacob, in qua conseruarentur promissiones de Christo filio Dei vsq[ue] ad aduentum eius. Nunc autē Ecclesia ex omnibus gentibus per Euangelion collecta verè dicitur hæreditas **DOMINI**, quòd sit filio Dei à patre suo in hæreditatem tradita: Postula à me, inquit pater ad filium, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Promittit igitur Spiritus sanctus in hoc versiculo, quòd **DOMINVS** semper sit conseruaturus Ecclesiam suam, collectā partim ex carnali posteritate Abraham, partim ex alijs gentibus, quæ si agnoscunt per fidem, semen Abraham, Iesum Christum, fiunt & ipsæ posteritas Abraham. Itaq[ue] pertinent etiā ad hanc promissionem, quæ ad Abraamum dicta est: Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Et as

I 2 lias:



liās : Te elegit Deus in hæreditatem suam. Ex his & alijs id genus promissionibus manifestum est, quòd Ecclesia, etsi affligitur, & conculcatur ab impijs, non tamen deseratur à Deo.

Quid ergo est, inquires, quòd pñ, qui sunt vera Ecclesia & hæreditas filij Dei, toties conquerantur se à Deo desereri? Deus, inquit alius Psalmus, repulisti & confudisti nos, iratus es nobis. Et rursus : Tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? Sed & caput ipsum Ecclesiæ, filius Dei, clamat : Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? Hic considerandum nobis est, quòd alia sit derelictio corporalis seu externa, alia derelictio spiritualis. Corporalem seu externam voco, cum Deus pios, seu Ecclesiam suam, in externis & corporalibus afflictionibus, ac etiam in morte sic deserit, vt non seruet eos externo aliquo miraculo in hac corporali vita : sed conniueat, vt & diutius affligantur, & tandem morte occumbant. Spiritualem autem voco, cum Deus hominem seu in afflictionibus huius vitæ, seu in morte ita deserit, vt in æternum pereat. Cum igitur Scriptura aliquoties dicit, Deum deserere populum suum, non est intelligendum, quòd deserat eum spiritualiter, sed tantum corporaliter. Etsi enim obscurum non est, quantis sæpè miraculis Deus liberauerit populum suum ex periculis, & conseruauerit eum saluum in hac corporali vita, tamen deserit eum vel tandem, vt corporaliter moriatur : conseruat autem eum spiritualiter, vt in morte non intereat, sed fruatur æterna fœlicitate. Sic clamat & filius Dei, se à Deo desertum, non quòd spiritualiter fuerit desertus.

In



In cruce enim & morte ita conseruatus est, vt nec vis-  
derit corruptionem, nec anima eius derelicta sit in in-  
ferno, sed resurrexit tertia die, magna maiestate, à  
mortuis, & confederit ad dextram Dei. Sed desertus  
fuit corporaliter, quòd Deus non adiuuerit ipsum ex-  
terno miraculo in cruce, vt in ea nō moreretur, quem  
admodum alias Patriarchas adiuuerat & conseruaue-  
rat. Hanc enim esse sententiam clamoris Christi, haud  
obscurè testatur Psalmus 21. è quo hæc vox sumpta est.  
Sic enim in eo Psalmo sequitur: In te sperauerunt pa-  
tres nostri: sperauerunt, & liberaisti eos. Ad te clama-  
uerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non  
sunt confusi. Hæc sunt intelligenda de externa libera-  
tione & salute. Ioseph clamauit ad Deum in carcere, &  
liberatus est è carcere. Moses, cum populo suo Israel,  
conclusus hostibus, montibus, & mari rubro, clamauit  
ad Deum, & eduxit Israelitas per mare rubrum saluos.  
Dauid conclusus exercitu Saulis, clamauit ad Deum,  
& euasit mirabiliter. Elias capiendus à quinquagenas-  
rio regis Israel, clamauit ad Deum, & descendit ignis  
de cœlo, ac deuorauit quinquagenarium cum satelliti-  
bus suis, vt Elias saluus euaderet. Tres adolescentes  
clamauerunt in fornace Babylonica, ad Deum, & De-  
us effecit, vt in igne illæsi seruarentur. Daniel conie-  
ctus in lacum leonum, clamauit ad Deum, & Deus cō-  
clusit ora leonum, ne Danieli nocerent. Innumera sunt  
id genus miracula, quibus Deus adiuuit sanctos suos  
in extremis periculis. Clamat igitur Christus filius  
Dei, se in cruce ita deseri, vt nullo tali miraculo diuis-  
nitus iuuetur, sicut Patriarchæ adiuti fuerunt. Oportes-  
bat enim eum humiliari vsq; ad mortem crucis. Et ta-



men tunc maximè omnium adiutus & conseruatus est  
 spiritualiter, quæ conseruatio, sola est vera, summa &  
 perpetua salus. Vide mihi Paulum, præcipuum Apo-  
 stolum Christi. Datur ei angelus satanæ, qui cædat  
 ipsum colaphis. Clamat igitur ter ad DOMINVM, vt  
 mirabiliter seruetur. Etsi autem sæpè aliàs magnis mis-  
 raculis seruatus est in periculis, tamen hîc audit à DO-  
 MINO: Sufficit tibi gratia mea. Deserit DOMINVS  
 Paulum externa liberatione, non deserit autem eum  
 spirituali liberatione, quia pergit eum sua gratia com-  
 plecti, & mitigat ei afflictionem, & dat ei ἐν χάριτι, vt  
 possit sufferre, & conseruat eum tandem in morte, æ-  
 terna vita. Hoc autem nō est propter Paulum tantum  
 gestum & scriptum, sed propter vniuersam Ecclesiam,  
 quemadmodum testatur ipse aliàs: Iesus Christus, in-  
 quiens, ostendit in me primò omnem clementiam, ad  
 exprimendum exemplar his, qui credituri essent in  
 ipso, in vitam æternam. Quod igitur Psalmus dicit:  
 Non repellit DOMINVS plebem suam, & quod ad  
 Paulum in sua afflictione dictum est: Sufficit tibi gra-  
 tia mea, sentiamus ad vnumquemuis nostrum, clamane-  
 tem quidem ad Deum, & cupientem externo sensu ab  
 aduersis liberari, non percipientem autem vllam li-  
 berationem, dici. Si quis enim, exempli gratia, gra-  
 ui morbo laborat, aut onere paupertatis premitur, aut  
 carcere concluditur, aut mortis periculis comprehen-  
 ditur, ac inuocat Deum ardentibus votis, per Iesum  
 Christum, vt iuuetur & liberetur, non sentit autem vll-  
 lam externi mali leuationem, cogitet DOMINVM ad  
 preces suas respondere: Sufficit tibi gratia mea. Sis  
 hoc beneficio contentus, quòd etsi affligeris, ac etiam  
 morte



morte occumbis, tamen adhuc complectar te gratia mea, sum tibi clemens & misericors. Non defero, nec derelinquo meum seruum, meum filium, etiamsi conuenio, ut aduersis vexetur. Quid enim de hac re dubitares? An pater idcirco abiicit, aut deserit dilectum filium, quod esuriat, quod algeat, quod doleat, quod morbo conflictetur? Nihil certe minus. Sed potius fouet eum, & quanto minus valet filius, tanto magis pater curat, ut valeat. Existimasne Deum esse hominibus, erga populum suum inclementiorem? Si vos, inquit, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum, poscentibus se. Et Psalm. 102. Quomodo miseretur pater filio suo, sic miseretur DOMINVS timentibus se. Et in Esaia: Si mater potest obliuisci infantis sui, ut non misereatur filij vteri sui, & ego obliuiscar tui. Et si illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar. Huc facit memorabile illud Pauli dictum, quod ad Romanos scribitur: Quis nos separabit a dilectione Dei, ab ea videlicet dilectione, qua Deus Ecclesiam suam complectitur? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? hoc est, Etsi affligimur, ærumnas patimur, persecutionem sustinemus, fame torquemur, nuditate algemus, periculis obruimur, gladio occidimur: hæc tamen mala non sunt tanti momenti, ut possint Deum auertere, quo minus nos propter Christum filium suum diligat: sed quanto maiora sunt mala, tanto magis curæ ei est salus nostra. Et sequitur in Paulo: Persuasum mihi est, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instans

tia,

Esa. 49.



cia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neq; vlla creatura alia poterit nos separare à dilectione, qua Deus nos, propter Iesum Christum **DOMINVM** nostrum, complectitur. Hoc verè illud est, quod Psalmus noster dicit: Non repellit **DOMINVS** plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquit.

Priusquam autem ad reliqua Psalmi pergamus, de re vna adhuc admonendi sumus, videlicet, quòd Psalmus non simpliciter dicit: **DOMINVS** non repellit plebem: sed disertè addit suam, suam, inquam, plebem non abiicit: suam hæreditatem non deserit. Quare, si quis voluerit hoc beneficio frui, vt non repellatur, nec deseratur à Deo, etiamsi varijs incommodis conflictetur, necesse habet pars populi Dei, membrum hæreditatis seu Ecclesiæ Dei, & ouis pascuæ Dei esse. Alieni non fruuntur hoc beneficio, sed tantum domestici Dei. Quomodo ergo fiam pars populi Dei? quomodo fiam membrum Ecclesiæ Dei, & domesticus eius? Hic nunc obseruanda est doctrina Euangelij de filio Dei. Docet enim Euangelion, quòd adoptemur in filios & domesticos Dei, non nostris meritis, sed tantum per fidem in Iesum Christum **DOMINVM** nostrum. Quot quot, inquit Ioannes, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Docet etiam Euangelion, vt ex hac fide in Christum, bonos fructus feramus, & proximum diligamus. Cooptamur ergo in populum Dei, & in membra Ecclesiæ, per fidem, propter Christum, & profiteamur hanc cooptationem per fructus fidei, hoc est, per inuocationem, per confessionem nominis Dei, & per charitatem erga proximum. Quòd si autem peccauerimus, &  
per



per peccatum eiectionis fuerimus à populo & Ecclesia Dei, reliqua est poenitentia, qua ad populum Dei redire licet. Cauendum quidem omni studio est, ne peccemus. Sed si quis peccauerit, inquit Ioannes, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Sed hæc copiosius alias traduntur. Nam mentionem huius rei idcirco facere volumus, ut ostenderemus, ad quos pertineat beneficium diuinæ curæ, & conseruationis in omnibus aduersis: & ut toto corde in hoc studium incumberemus, quo simus membra hæreditatis seu Ecclesiæ Dei: aut si per peccatum excidimus, ad Ecclesiam Dei, absq; omni mora, per veram poenitentiam reuertamur.

Sed sequitur alia responsio ad interrogationem seu querelam, quæ in principio Psalmi posita est: Usquequo impij, DOMINE, usquequo impij exultabunt? Respondit enim Psalmus supra: Donec fodiatur, inquit, impius, impius fouea. Nunc autem respondet secundo: Quoad usque, inquit, iustitia conuertat iudicium. hoc est, impij non exultabunt perpetuo, non erunt in sua impietate in æternum foelices: sed tantisper, dum iustitia conuertit iudicium. Hæc duo vocabula, iustitia & iudicium, ubi in scriptura coniunguntur, solent ferè in forensi significatione sumi. Iustitia enim est, cum iustus redimitur & liberatur. Æquum enim & iustum est, ut iustus defendatur, & à violentia iniustorum seruetur. Iudicium autem est, cum impius seu iniustus infligitur supplicium. Hæ sunt duæ partes officij iusti iudicis, videlicet, ut innocentes tueatur, & nos

K centes



centes puniat. Hoc est facere iustitiam & iudicium. Quod Petrus & Paulus dicunt, ad laudem bonorum, & pœnam malorum. In hoc igitur seculo, cum impij foeliciter promouent in consilijs suis aduersus pios, & cum iniusti opprimunt iustos, iudicium inuertitur, & dat quasi tergum. Postquam autem exurrexerit D O M I N U S, & sederit, sicut alius Psalmus loquitur, super thronum, ac inceperit pios liberare, hoc est, iustitiam facere, tunc iustitia dicitur conuertere iudicium auersum: quia tunc impij, qui ante foelices erant, incipiunt esse infœlices, & pro meritis suis puniuntur. Quare sicut antea exultabant impij, & insultabant pijs, cum iudicium videbatur auersum: ita postea exultant omnes recti corde, & insultant vicissim impijs, cum iudicium iterum conuertitur per iustitiam: Stabunt, inquit liber Sapientiæ, iusti in magna constantia.

Obseruandum autem est, quod duplex sit iudicium Dei in impios. Alterum est, externum, mundanum, & quasi priuatum, videlicet, cum Deus iudicat & punit impios externis supplicijs in hoc seculo, & aut desijcit eos de maiestate et foelicitate huius seculi, in ignominiam & infœlicitatem corporalem. Quale fuit supplicium Nabuchodonosoris, qui laborauit septem annis insania: & quale fuit Herodis, occisoris Baptistæ, & irrisoris Christi, qui Herodes eiectus fuit è tetrarchia in exiliũ. Aut tollit impios de hac vita, non vulgari, sed horribili mortis genere. Quale supplicium fuit diluuium, incendium Zodomiticum, submersio Pharaonis in mari rubro, deuastatio vrbs Hierusalem, & id genus multa alia. Ac tali quidem iudicio solet Deus nonnunquam visitare impios, in hoc seculo, vt in securitate

ritate



ritate eorum, declaret se adhuc sedere in throno maiestatis suæ: & probet hoc argumento seueritatem suam erga impios, ac incutiat securis metum. Non solet autem omnes impios hoc modo visitare, nec hæc externa supplicia sunt extremæ pro merito impietatis satisfactiones: sed reliquum est alterum iudicium, generale, in nouissimo huius seculi die. Hoc iudicium nullus impius, siue in populo Dei, siue in alijs gentibus, etiamsi à priori illo liber fuerit, & in summa tranquillitate, sicut diues ille in Euangelio, moriatur, eua- dere potest. Hoc iudicio omnes impij perpetuis suppli- cijs afficientur. Ad hoc iudiciũ omnes pij in hoc mun- do afflictĩ appellunt. In hoc enim consequentur æternam ab omnibus malis liberationem.

Sed quod de hoc iudicio Dei dicitur, impij suauiter ridere, imò etiam effuse cachinnari solent. Dicunt, quod est apud Petrum: Vbi est pollicitatio aduentus eius? Dicunt: Si mihi tam longinquum vindictæ ter- minum statuis, tunicam tibi cum pallio auferam. Obs- ferua igitur, quòd etsi contemptores verbi Dei, rident hanc doctrinam, tamen nihil certius est, quàm quòd tale generale iudicium suo tempore, vel tandẽ sit ventu- rum. Hoc testatur vniuersa diuina scriptura: hoc tes- tantur ab initio mudi Patriarche, Prophete, Aposto- li, & filius ipse Dei. Hoc testatur omnes piorũ afflictio- nes, in quibus ex hac vita tolluntur: & omnes impio- rum foelicitates, quibus ad extremum vsq; vitæ huius spiritum fruuntur. Quæ enim esset illa æquitas & ius- titia Dei, quòd coniueret, vt pij in hoc mundo sem- per essent infœlices, impij autẽ semper foelices, si non reliquum esset generale iudicium, quo hæc iniquitas



corrigeretur? Ac profectò hoc iudicium, si rem diligenter perpenderit, non potest longè abesse. Etsi enim ignotum est nobis tempus aduentus eius, & fortassis fieri potest, vt adhuc aliquot centenarijs differatur, tamē priuatus vniuscuiusq; mortis dies longè abesse non potest: Dies annorum eius, inquit, septuaginta anni: aut si multum, octoginta: & quod eximium est in ipsis, labor est & dolor. Inter priuatum autem cuiusque mortis diem, & inter diem generalis iudicij, quantum, quæso, temporis interesse putas? Non de viuentium in hac terra, sed de mortuorum ratione quæro. Scimus quidem homines in hoc seculo suam habere numerandi rationem, & computare annos, menses, dies, horas, & minuta horarum. Alia autem est mortuorum ratio. Quod enim ad hos attinet, mille anni sunt coram ipsis, sicut vnus dies: & vnus dies, sicut mille anni, hoc est, nulla est temporum ratio apud mortuos, sed omnia sunt vnum & æternum momentum. Itaque Petrus & Paulus, qui à Nerone, hoc est, annis ab hinc plusquam mille quadringentis, occisi sunt, cùm excitabuntur in extremo die, non sentient tot annos à morte sua præterisse, sed existimabunt se iamprimum obdormisse: quia in altero seculo, in quo nunc vitam suam viuunt Petrus & Paulus, non est talis, qualis in hoc seculo, temporis computatio. Sciamus igitur, quòd vnusquisq; nostrum tanto duntaxat tempore à iudicio nouissimi diei absit, quantum abest à tempore mortis suæ. Quantum autem, obsecro, abest? fortassis viginti annos, fortassis vnum annum, fortassis vnam hebdomadam, fortassis vnum diem, fortassis vnam tantum horam, aut si quid est minutius. Omnia incerta. Quare in  
 re in



re in hoc vnum studium incumbendum est, vt sine vls  
 la dilatione præparemus nos ad iudicium Dei, hoc est,  
 vt ingrediamur sine macula, & operemur iustitiam,  
 quemadmodum alius Psalmus docet. Quis autem, in-  
 quies, coram tam seверо tribunali consistere potest,  
 cum diuina lex exigat ab omnibus hominibus perfe-  
 ctam iustitiam. Et cum in iudicio Dei exultent tan-  
 rum recti corde, sicut noster Psalmus dicit, quis in  
 tam corrupta natura hominum præstaret perfectam  
 iustitiam? quis posset gloriari se esse recto & mundo  
 corde? In conspectu tuo, inquit alius Psalmus, non iu-  
 stificatur omnis viuens. Quomodo igitur sperabimus  
 nos in iudicio Dei exultaturos? In hac obiectione cō-  
 siderandum est, qui sint illi recti & mundi corde, qui  
 in iudicio Dei exultare & consistere possunt. Nam si  
 consideraueris perfectam iustitiam, quam lex Dei exi-  
 git, recte dicit Psalmus: Non iustificatur in conspectu  
 Dei omnis viuens. Et: Si iniquitates obseruaueris  
 DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Quare iuxta  
 hanc considerationem, vt nullus hominum habet cor  
 perfecte rectum ac mundum, ita nullus hominum pos-  
 test coram tribunali Dei consistere. Etsi enim quædam  
 est externa hominum honestas, tamen peccatum carni  
 ita inhæret, vt etiam hi, qui spiritum Dei acceperunt,  
 non possint peccatum perfecte in hac vita expurgare.  
 Si autem consideraueris filium Dei, Iesum Christum  
 DOMINVM nostrum, qui nobis per Euangelion of-  
 fertur, ac donatur, ac per fidem accipitur, & posside-  
 tur, tunc omnes credentes in Christum, verè dicuntur  
 recti & mundi corde. Filius enim Dei perfecte iustus  
 est & mundus, ac donatur credenti in ipsum, totus, cū

K 3 omni



omni sua iustitia & mundicie. Cum enim Deus non pepercerit proprio filio suo, sed pro nobis omnib. tradiderit illum, donauit & omnia nobis cum eodem, vt Paulus ait. Et Christus ipse: Qui credit in me, inquit, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Quare si consideraueris Christum, homini pio donatū, & in pio habitantem, et si homo habet adhuc peccatū in carne, reputatur tamen iustus, rectus & mundus corde, propter Christū per fidem. Hoc tantum nobis curandum est, ne secundū carnem, sed secundum spiritum versemur, & ne designemus peccatum vastans conscientiam, vt nō amittamus Christum: sed mortificemus spiritu facta carnis, & accommodemus membra nostra arma iustitiæ Deo, quem admodum Paulus loquitur.

16. *Quis insurget mecum aduersus malignantes? quis statuet se mecum aduersus operantes iniquitatem.*
17. *Nisi DOMINE adiuuisses me, parū abfuisset, quin habitasset in inferno (in silentio) anima mea.*
18. *Si dicebam, mouetur pes meus, misericordia tua DOMINE sustentabat me.*
19. *In multitudine tristium mearum cogitationum, quæ intra me erant, consolationes tuæ exhilararunt animam meam.*

Hæc est altera pars huius Psalmi, in qua Dauid proponit suum ipsius exemplum, & docet, in se priuatim comprobatum esse, quod suprâ generaliter de Ecclesia commemorauit, videlicet, Ecclesiam affligi quidem grauius ab impijs, habere autem suam non solum consolationem



consolationem & mitigationem, verumetiam liberationem. Quis, inquit, insurgit mecum aduersus malignantes? Habet & hæc interrogatio suam emphasim, ac vehementius sonat, quam si simpliciter diceretur: Nullus hominum, aut paucissimi iuuant me in aduersis, & pugnant mecum cum impijs meis hostibus. Hæc fuit fortuna Dauidis. Cum esset foelix, multos numerabat amicos: postquam autem obrueretur infœlicitate, partim propter professionem piæ doctrine, partim propter vnctionem in regem, quam à Samuele acceperat, partim propter persecutionem filij sui Absolomis, paucissimi erant, qui insurgerent cum ipso, aduersus hostes eius. Ac alij quidem, etsi cupiebant, non tamen poterant eum iuuare, vt Ionathas, & pauci alij. Maxima autem pars eò, quò foeliciores fortuna, inclinabat. Ad exulantem venerunt nonnulli in desertum: sed qui magis à Dauide, quam David ab ipsis, opem peterent. Postea eiectus è regno à suo filio, congregauit quidem exercitum: sed hic exercitus collatus cum exercitu Absolomis, non videbatur admodum magni momenti, quippe quòd totus Israel, vt scriptura ait, sequebatur Absolomem. Quid plura? Vt maximè David habuerit adiutores quosdam homines in periculis externis & corporalibus, tamè in certaminibus spiritualibus, & in terroribus mortis, ac doloribus inferni, nullus hominũ potuit eũ iuuare: Pater meus, inquit, & mater mea dereliquerunt me. Quod habes in exemplo Dauidis, hoc idè Christus, verus David, in se quoque gestũ conqueritur. Tribulatio, inquit, proxima est, quoniam non est, qui adiuuet. Et iterum: Extraneus



traneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis  
 matris meae. Ac mox: Sustinui, qui simul contristare-  
 tur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. Has  
 buit quidem Christus multos asseclas, cum ederet mi-  
 racula, cum pasceret multa millia hominum in deserts  
 to, & cum adhuc etiam Pharisaeis esset venerabilis:  
 postquam aut tenebatur captiuus, & acclamabatur: Crus-  
 cifige, nullus erat, etiam ex Discipulis, ac ijs, quos sa-  
 nitati restituerat, qui pro eo vel hiscere auderet. Quod  
 contigit capiti Ecclesiae, hoc etiam corpori contingere  
 solet. Quod Domino accidit, mirandum non est, ut  
 & seruis accidat. Non enim est seruus maior Domino.  
 Nam Ecclesia, quae est corpus Christi, multos videtur  
 habere amicos & adiutores, cum a parte eius stant res  
 ges & principes, & cum habet adhuc aliquot huius ter-  
 rae facultates. Sed postquam reges & principes perse-  
 quuntur eam, & versatur in maximis periculis, non est  
 qui eam vel sereno vultu aspicere dignetur. Ac in Ec-  
 clesiam aptissime competit, quod Hieremias vrbi Hies-  
 rusalem accidisse deplorat: Non est, inquit, qui cons-  
 soletur eam ex omnibus caris eius. Omnes amici eius  
 spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici. Quid igitur  
 dicemus? Num quia David deseritur in suis aduersis,  
 ab hominibus, deseritur etiam a DOMINO Deo suo?  
 Num quia reijcitur ab amicis, reijcitur etiam a Deo?  
 Nihil certe minus. Nisi inquit, tu DOMINE adiuuisses  
 me, parum abfuisset, quin habitasset in silentio, seu in  
 ferno anima mea, quin amissem vitam meam. Dese-  
 ruerunt me homines, sed DOMINVS adiuuit me, &  
 liberauit me ex omnibus malis. Quanquam enim tan-  
 taerant aliquoties afflictiones, ut ego ipse confiterer,  
 pedem



pedem meum moueri: hoc est, me non posse consistere: ac desperarem de vita, & sententiam mortis ipse in me acciperem: tamen DOMINVS clementia sua sic me tuebatur, vt admirabiliter, præter expectationem, seruarer. Habui sæpè ac multùm tristissimas cogitationes, & grauissimos dolores animi, in quibus nullus hominum me consolari potuit: sed ecce, quemadmodum mater, ludens cum filiolo suo, in gremio, solet eum suauissime exhilarare, ita DOMINVS in medijs terroribus exhilarabat me cœlestibus blanditijs. Sic & alias dicit: Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, DOMINVS autem assumpsit me. Et Christus: Ego eram pauper & dolens, salus autem tua DOMINE suscepit me. Et Paulus: Benedictus Deus & pater DOMINI nostri Iesu Christi, qui est pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra, in hoc, vt possimus cōsolari eos, qui sunt in quavis afflictione, per consolationem, qua nos ipsos consolatur Deus. Quoniam sicut abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra. Et mox: Nolumus vos ignorare, de afflictione nostra, quæ nobis accidit in Asia, quoniam supra modum grauati fuimus supra vires, adeo vt desperauerimus etiam de vita, &c. Sic & Dauid ait: Multæ tribulationes iustorum, sed de his omnibus liberat eos DOMINVS. Quare incumbamus in hanc curam, vt simus in societate Davidis: hoc est, vt simus membra Christi & Ecclesiæ eius per fidem. Sic enim certò fiet, vt si multæ contingunt nobis afflictiones terrenæ, multæ etiam contingant nobis cōsolationes cœlestes.



20. *Num adhaeret tibi cathedra prauitatis, quæ instituit laborem super præceptum?*
21. *Irruunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnant.*
22. *Sed D O M I N U S est refugium meum, & Deus meus, petra spei meæ.*
23. *Et reddet illis dolorem, quem ipsi alijs inferunt: & disperdet eos afflictione, quam alijs cogitant: disperdet illos, inquam, D O M I N U S Deus noster.*

Redit ad narrationem impietatis & crudelitatis hostium suorum, vt concludat tandem se diuinitus seruari & liberari, impios autem perpetuò interire: Num adhaeret, inquit, tibi cathedra prauitatis, quæ instituit laborem super præceptum? Iterum figurat sermonem suum interrogatione, vt faciat eum vehementiorem. Cathedra prauitatis fingens, vel instituens laborem super præceptum, est sedes, vt vocant, doctoralis, in qua deprauatur & peruertitur verbum Dei, & docentur pro verbo Dei humanae traditiones. Fingere enim laborem super præceptum seu statutum, est prætextu diuini præcepti multos, difficiles, molestos & laboriosos cultus Dei instituere, & eos statutis Dei addere, imò hominibus, tanquam vera Dei statuta obtrudere: ex quibus conscientia non redditur tranquilla, sed vt Paulus loquitur, cauteriata, vt concipiat metum, vbi non erat metuendum. Potest & sic legi: Fingens, seu instituens laborem contra præceptum: hoc est, instituens sacra contra verbū Dei. Omnino enim hęc fit sermo de institutione humanarum traditionum, aut sacrorum cultuum, qui humana prudentia confinguntur.



guntur. Nam impij hypocritæ solent instituere sacros cultus Dei, prætextu quidem verbi seu præcepti Dei, sed confictos humana prudentia, & quorum vsus est aduersus verbum ac præceptum Dei. Exempli gratia: Sacrificare aut adolere incensum Deo, fuit in Mose statutum verbi Dei, quemadmodum liber Leuiticus testatur. Impij igitur agnouerunt hoc statutum Dei, & addiderunt suam traditionem. Instituerunt enim, vt in gloriam nominis Dei sacrificaretur in excelsis, in nemoribus, & sub omni ligno, vt scriptura loquitur, frondoso. Hæc traditio videtur quidem ex verbo Dei sumpta esse, sed est instituta contra verbum Dei, & cedit in impium abusum. Primum enim manifestum extabat verbum DOMINI, Deuter. 12. Non offeras holocausta in omni loco, sed in eo quem DOMINVS Deus tuus elegerit. Et: Non addas quicquam, nec minuas, Non declines, nec ad dextram, nec ad sinistram. Deinde hic cultus in excelsis erat occasio deserendi veri & legitimi cultus, lege DOMINI in templo instituti. Postremò sentiebant hypocrite, hunc cultum esse verè expiationem peccatorum suorum. Itaq; quod pertinebat ad solum sacrificium seminis Abrahæ, hoc est, Iesu Christi, hoc impie transferebatur in sacrificia excelsorum. Quare hæc traditio, etsi videbatur instituta ex verbo Dei, ad gloriam nominis Dei: tamen rectè considerata, deprehenditur verè impia, & contra verbum Dei conficta. Aliud. Verbum Dei est: Sancti seu mundi estote, quia ego sanctus sum, dicit DOMINVS. Et: Mundamini, qui fertis vasa DOMINI. Ex hoc & alijs id genus statutis Dei nata est traditio Pharisaica, quæ extat



Matthæi decimoquinto, de lauatione manuum, ante  
 esum panis. Et Matthæi vigesimotertio, de lauationis  
 bus poculorum & patinarum. Hæc traditio videtur  
 per se non solum tolerabilis, sed etiam verbo Dei de  
 sanctitate & munditie consentanea. Sed profecto pug-  
 nat cum verbo Dei. Primum enim obscurat veros Dei  
 cultus, traditos verbo Dei, de vera & spirituali mun-  
 ditie, vt homines decepti & occupati externa huius  
 operis specie, sectentur corporalem tantum munditi-  
 em, & veram ac spiritualem negligant, adeoq; fieri so-  
 let, quod Christus ex Esaia concionatur: Appropin-  
 quat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat,  
 cor autem eorum procul abest à me: sed frustra colunt  
 me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Deinde  
 hæc traditio, dat occasionem, vt non solum spiritualis  
 mundities negligatur, verumetiam vt ista corporalis  
 habeatur pro vera, legitima, & coram Deo sufficienti  
 ac perfecta sanctificatione. Hæc est manifesta impie-  
 tas, constans sumptu & labore, & conscientiam magis  
 turbans, quam coram Deo pacificans. Aliud, Statutum  
 Dei est, orandum esse: Orate, inquit, ne intretis in tenta-  
 tionem. Et: Oportet semper orare, nec defatigari.  
 Hinc nata est traditio de oratione, seu precibus hora-  
 rum canonicarum, in monasterijs & collegijs sacrificus-  
 lorum. Nihil nunc dicam de impijs precibus, & mens-  
 dacibus legendis, quæ his horis canonicis, de inuoca-  
 tione mortuorum admixtæ sunt: sed loquor tantum  
 de ijs, in quibus omnes Psalmi, Lectiones & Oratio-  
 nes è scriptura sumptæ sunt. Habet igitur hæc traditio  
 magnam speciem, perinde ac si esset sacratissimus Dei  
 cultus, & verbo Domini approbatus: sed vt constat  
 magno



magno sumptu & labore, ita pugnat verè cum verbo Dei. Primum enim verbum Dei non alligat preces ad certum tempus, sed vult eas quouis tempore liberè obseruari. Hæc autem traditio alligat preces ad certum tempus, & dicit neglectiorem earum in tempore suo definito esse peccatum mortale. Pugnat igitur cum verbo Dei, quod Paulus concionatur: In libertate, inquit, qua Christus vos liberavit, stete, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Deinde lectio sacræ scripturæ, Psalmi, & preces, sunt diuinitus in hunc usum instituta, vt ex his erudiamur ad timorem Dei, ad fidem in Christum, ad charitatem, ad patientiam, & ad reliquas virtutes. Traditio autem de septem horis canonicis non hoc agit, vt erudiamur in his veris cultibus Dei, sed exigit opus ipsum pro cultu: & iudicat sibi satisfactum, si verba, quamuis nec à recitatore, nec ab auditore intellecta, commemorantur. Cum igitur hic cultus non sit hoc modo diuinitus institutus, sed ab hominibus excogitatus, pertinet ad illum ordinem cultuum, de quibus Christus ait: Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Postremo cultus horarum canonicarum, vsurpari solet pro expiatione peccatorum coram Deo, & pro salute humani generis. Institutores enim harum horarum perspicue profitentur, se hunc cultum instituere pro salute & redemptione animarum suarum, & omnium suorum amicorum. Hæc autem est impietas, pugnans cum fide in Christum, qua sola propter Christum consequimur remissionem peccatorum, & salutem animarum. Quare cultus horarum canonicarum, est contumelia nominis Dei, tantum abest, vt sit gloria eius. Aliud, Status



tum, seu institutio Christi filij Dei est, cœna Domini-  
ca: & diuinitus commendata nobis sunt oratio Do-  
minica, & lectio sacrae scripturae. Ex his conflata est  
per humanam traditionem Missa Papistica. Etsi enim  
initio Missa non constabat tot partibus, & erat quoque  
libera ordinatio, qua sanctificaretur & dispensaretur  
cœna Domini, in Ecclesia: postea tamen à Pontifici-  
bus ita aucta & inuersa est, vt tandem nasceretur hoc  
opus, quod in Papistica Ecclesia summum & sacratis-  
simum habetur: nec maneret amplius cœna Domini-  
ca, hoc est, Sacramentum, quod Ecclesiae ad confirman-  
dam fidem suam dispensaretur: sed fieret sacrificium,  
quod Deo exhiberetur, et quo meritum passionis Chri-  
sti, singulis iuxta arbitrium sacrificuli applicaretur,  
adeoque esset sacrificium pro peccatis viuorum & mor-  
tuorum. Hic est autem impius abusus cœnae Domini-  
cae, & lectionis sacrae scripturae, atque precationum.  
Quamquam enim cœna Dominica sumenda est cum  
gratiarum actione, ideoque dici possit sacrificium lau-  
dis, sicut alia bona opera: tamen non est instituta à  
Christo, vt oblatione corporis Christi, quae fiat Deo à  
priuato sacrificulo: sed vt dispensatione, quae fiat à pub-  
lico Ecclesiae ministro: & sumptione, quae fiat ab vno  
quouis pio, seu membro Ecclesiae, applicetur ei meri-  
tum Christi, & accipiatur ab eo per fidem. Applicatio  
enim meriti Christi non fit oblatione Papisticorum sa-  
cificulorum, sed fit praedicatione Euangelij de Chri-  
sto, & dispensatione Sacramentorum, quae per fidem  
accepta, afferunt remissionem peccatorum, & vitam æ-  
ternam, propter Iesum Christum D O M I N U M nostrum:  
Ite, inquit, in vniuersum orbem, & praedicate Euangelion  
omni



o mni creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) & baptisatus fuerit, saluus erit. Et: Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et: Accipite, edite, hoc est corpus meū. Bibite ex hoc omnes. Quare, cum Missa Papistica, nec sit prædicatio Euangelij, nec dispensatio cœnæ Dominicæ, sed oblatio à sacrificulis conficta, non conuenit cum institutione Christi, seu verbo Dei, nec confirmat fidē, sed pugnat cum verbo Dei, & abducit à vera fide in idolatriam. Primum enim, manifestū est, quod opus Missæ Papisticæ non sit institutum à Christo, sed confutum à Pontificibus, ex multis partibus. Hoc igitur opus, est cultus humana traditione excogitatus, & pertinet ad eum ordinem sacrorum, de quibus Christus ait: Frustra colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Deinde, in Missa Papistica, non fit dispensatio, sicut Christus instituit: sed fit oblatio corporis & sanguinis Christi, quod Christus non instituit, sicut paulo antè diximus. Postremo, cum opus Missæ habeatur pro organo, quo applicetur meritum Christi, uiuis & mortuis, obscurat, ac etiā, quantum in ipso est, tollit ex Ecclesia prædicationem Euangelij Christi, & dispensationem ac summptionem cœnæ Dominicæ, quibus verè fit applicatio meriti Christi. Obscurare autem, vel tollere hæc ex Ecclesia Christi, est impiū esse in Christum, & conari opprimere ac delere Ecclesiam Christi. Quare nihil vnquam magis impium in Ecclesia Dei vsurpatum est, quàm traditio & observatio Missæ Papisticæ. Possem id genus multas alias traditiones commemorare. Sed hæc nunc exempli gratia sufficiant. Talibus igitur humanis traditionibus & doctrinis Psalmus noster tribuit tres memorabiles



rabiles conditiones. Vna est, quòd vocet eas cathedram prauitatis: hoc est, doctrinam deprauantem & peruertentem verbum Dei, quemadmodum exemplis iam demonstratum est. Secunda, quòd vocet eas laborem, quia sacri cultus humanis traditionibus instituti, non solum constant magno sumptu & labore; sed etiam afferunt conscientie molestias, dum ea maiorem dubitationem de clementia Dei post se relinquunt, quo diligentius & sollicitius peraguntur. Tertia, quòd institutores & tutores harum traditionum, sunt viri sanguinum & homicidæ: Irruunt, inquit, seu vt Hebræus proprie habet: Accingunt se ad prælium, colligunt exercitum aduersus animam iusti, & condemnant innocentes tanquam impios. Quos enim cultus impij hypocritæ excogitant & instituunt, eos etiam armis defendunt, & reprehensores tanquã impios trucidant. Exempla habes in regibus, pontificibus, & sacrificulis Israelitarum, erga Prophetas, in principibus Persarum erga Danielelem, in Pharisæis erga Christum & Apostolos: & hoc tempore, in pontificibus ac satellitibus eorum, ac tutoribus Papisticarum Missarum, erga eos qui Euangelion Christi synceriter in Ecclesia docent. Cum enim ab initio satan sit mendax & homicida, fieri non potest, quin quos mendacis impietatum suarum captiuos tenet, faciat etiam ex ipsis viros sanguinum & homicidas. Sed ecce mihi rem mirandam. Etsi enim institutores & tutores humanarum traditionum ac impietatum, sunt mendaces & homicidæ, seu vt scriptura loquitur, dolosi & viri sanguinum, ideoq; grauissimè aduersus Deum peccant: tamen in institutis suis sunt ad eò foelices, vt videantur Deo, tanquam  
 consos



confociati, adhærere: & habeantur non solum populus seu Ecclesia Dei, verumetiam summa capita & principes Ecclesiæ. Et contra, verè pñ sunt adeo infœlices, vt videantur prorsus à Deo abiecti, & indigni, quos terra ferat. Quid ergo dicemus? Num, quem admodum in oculis hominum impij videntur Deo adhærere, & cum Deo coniuncti, pñ autem à Deo abiecti, & damnati esse, sic etiam videntur in oculis Dei? Nihil minus. Nunquid adhæret, inquit, tibi cathedra prauitatis? Non certè adhæret. Sed ego potius adhæreo DOMINO, illi autem sunt abiecti. DOMINVS enim meum est refugiũ, & Deus meus, petra spei meæ. In terris non patet mihi vllum asylum, ad quod in tantis aduersis me tuto recipiam. Ad cœlum igitur propero, ibi DOMINVS est mihi tutissimum asylum, refugium & p̄sidium. In terris, nullam inuenio petram, in qua consistam: nullam arcem, in quam tuto me in tantis periculis conferam, In cœlum igitur conscendo. Ibi inuenio DOMINVM, petram & arcem, qua & cōfidere, & perpetuò conseruari possum. Sic & Psalm. 17. dicitur: Diligo te DOMINE, fortitudo mea, DOMINVS firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eum. Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Significat autem Dauid his epithetis, quæ tribuit DOMINO Deo nostro, quòd speret DOMINVM Deum non solum mitigaturum aduersa sua: verumetiam liberaturum ipsum ab omnibus aduersis, vt fruatur perpetua fœlicitate. Sed facile, inquis, fuit Dauidi profiteri, DOMINVM esse refugium suum, & petram, qua confidat, propterea quòd Dauid fuit rex

M Deo



Deo acceptissimus, & Propheta Spiritu sancto ornatus. Ego verò sum homo miserrimus, nullo insigni vel corporali, vel spiritali dono illustris. Et præterea cōscius mihi sum plurimorum & maximorum peccatorum. Quomodo igitur possum ad DOMINVM, tanquam ad refugium, ad asylum, & ad petram meam cōsfugere? Aut quid faciam, vt possim de Deo, idem quod Dauid, ex animo mihi polliceri? Sic humanus animus naturaliter dubitat de clementia Dei, quòd etsi concedit, Deum alijs hominibus, quos videt magnis donis insignitos, propitium esse: negat tamen seipsum, tam multis miserijs deformatum, Deo curæ esse. Hoc inde adeò accidit, quòd homines non recte sentiunt de Deo, & clementia eius: sed existimant eum in electione hominum, esse respectorem personarum & meritorum. Quare diligenter perpendendum est, quæ sit vera salutis nostræ ratio, vt huic dubitationi medeamur. Initiò enim non est sentiendum, quòd inter homines, alter sit natura sua altero coram Deo iustior & sanctior. Vniuersum enim humanum genus, ab Adamo propagatum, vna est massa, peccato sic fermentata, vt singuli homines æqualis sint coram Deo corruptionis & cōdemnationis. Non enim minus peccati Iacob quam Esau, Dauid quam Saul, Petrus quam Iudas, in sui cōceptione ab Adamo, quasi hæreditate suscepit: In conspectu tuo, inquit Psalmus, non iustificatur omnis viuens. Et: Si iniquitates obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Et: Omnis homo mendax. Item: Omnes declinauerunt, nō est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum. Et Paulus: Propter vnum hominem peccatum in mundum introiit. Et: Per vnus delictum



delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem. Ac rursus: Eramus natura filij iræ. Quare Deum fuisse refugium Davidis, & petram spei eius, non ex eo venit, quod David fuerit naturaliter sanctior aut iustior alijs hominibus. Deinde, promissio de Christo filio Dei, expiatore peccatorum, & reconciliatore humani generis, ac seruatore, non est vni tantum homini, aut vni tantum genti proposita, sed pertinet ad omnes gentes & homines. Etsi enim singulariter promissum fuit Davidi, quod ex ipsius familia Christus esset nasciturus, tamen beneficia Christi pertinent ex æquo ad omnes homines, inter quos is accipit beneficia Christi, & fruitur eis, non qui hoc meretur proprijs suis virtutibus, sed qui accipit Christum per fidem: In semine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes. Et: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Et: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis credit in eum. Et: Omnis, qui fedit illi, non pudebit. Non enim est distinctio vel Iudæi vel Græci. Nam idem DOMINVS omnium, diues in omnes inuocantes se. Quare qui vere credit in Christum, non minus acceptus est Deo, & reputatur coram eo iustus propter Christum, quàm David acceptus et reputatus fuit. Sed David, inquit, multa bona opera fecit. Rectè, idè & nobis faciendū est, vt Christum per fidem acceptum retineamus, & Deo gratos nos pro beneficijs suis exhibeamus. Ac si peccauerimus, resipiscendū est. Non enim benè conueniunt, nec in vna sede morantur, regnum Christi, & regnum peccati. Bona autem opera



ra Davidis, non fuerunt ea merita, propter quæ coram Deo iustus reputatus est, & propter quæ Deus fuit refugium, & petra spei eius. Quia etli David fecit multa bona opera, ex verbo DOMINI, tamen habuit adhuc multum peccati in carne, propter quod bona eius opera fuerunt vitiata, & designauit etiam multa horrenda peccata, externis factis. Propter quæ omnia necesse habuit, ad solam clementiam Dei in Christo promissam, fide sua confugere, & per fidem, ex solo Christo, iustitiam & salutem reportare. Vnde in alio Psalmo prouocat omnes homines, suo ipsius exemplo, ad spem & inuocationem. Exquisiui, inquit, DOMINUM, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum, & illuminas mini, & facies vestræ non confundentur. Iste pauper clamauit, & DOMINVS exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius saluauit eum, quasi dicat: Ego meo exemplo iubeo omnes homines benè sperare, & Deum ex fide inuocare, quia ego eram hominum miserimus, & peccatorum maximus. Cum autem inuocarem Deum ex fide, nō meorum meritorum, quorum nulla mihi erant, sed misericordiæ in Christo promissæ, exaudiuit me. Quomodo igitur non exaudiret alios, similiter Deum ex fide inuocantes? Et Iacobus ait: Orate pro vobis inuicem, vt sani sitis. Multum enim valet deprecatio iusti efficax. Elias homo erat similiter obnoxius affectionibus vt nos, & precatus est, &c. Et Paulus: Christus Iesus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret, quorum ego primus sum. Sed in me primò exhibuit omnē clementiam in exemplū, &c. Quare si agnitis peccatis verè in Christum credimus, & vos



& vocationi Dei ex fide seruimus, non minus, quam Davidis, erit **DOMINVS** Deus, refugium nostrum, & petra spei nostræ, ad quæ nos in omnibus aduersis, fide & inuocatione nostra, propter Christum tuto conferamus. Atq; hæc quidem de Davidis & omnium piorum salute. Quid autem fiet de impijs? Reddet illis, inquit, dolorem seu luctum, quem alijs solent inferre: & disperdet eos afflictione, quam alijs cogitant: disperdet illos, inquam, **DOMINVS** Deus noster. Hoc est non tam perspicuum, quam horribile iudicium aduersus impios latum. Sunt aliquandiu fœlices, & non cogitant, nisi piorum internecionem: sed temporalis illa fœlicitas cedit ipsis in æternam infœlicitatem: & quod alijs malum cogitant, hoc ipsis diuinitus inferetur. Disperdet, inquit, eos afflictione. Et ne quis dubitet de firmitate & certitudine huius iudicij, repetit idem secundo: Disperdet illos **DOMINVS** Deus noster. Homines sunt partim impotentiores, partim remissiores, quam quod possint aut velint satis supplicij inferre impijs. **DOMINVS** igitur Deus noster, qui est & omnipotens, & seuerissimus impietatis vltor, ipse inferet impijs supplicium: idq; haudquaquam momentaneum, sed perpetuum. Hæc sententia aduersus impios lata, sæpè in scriptura, ac præsertim in Psalmis repetitur. Ecce, inquit Psalmus, parturit iniustitiam, & concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aperuit, & offodit eum: & incidit in foueam, quam fecit. Conuertetur dolor in caput eius, & in verticem eius iniustitas ipsius descendet. Et iterum: Iniusti disperibunt, similiter reliquie impiorum interibunt. Ac rursus: Virum sanguinum & dolosum abominabitur **DOMINVS**. Et as



lias: Tu deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos. Cum igitur hoc sit certissimum iudicium impiorum, cur offensus eorum foelicitate, abnegares verbi Dei veritatem, & deficeres à pietate ad impietatem? Docet scriptura aliàs, impios exaltari, nō quòd iustam habeant causam, sed vt grauiori casu ruant. Deiecisti eos, inquit alius Psalmus, dum alleuarentur. An non & fur è cruce suspendendus, in altum ducitur? Ducitur autem in altum, non vt commendetur ob iustitiam, sed vt ex laqueo deiciatur propter iniustitiam. Sic & impij glorificentur in hac terra, non quòd impietas approbetur, sed vt propter impietatem æterna ignominia afficiantur. Hieremias dicit: Impios congregari seu saginari ad victimam vel occisionem. Nam quemadmodum patresfamilias saginant porcos, non quòd delectentur vita huius tam immundæ bestiaë, sed vt præparent eos lanio ad occisionem, & ad cibum familiaë: ita Deus saginat impios multa foelicitate huius seculi, non quòd delectetur impietate eorum, sed vt tradantur satanaë dilaniandi, & perpetuò mactandi. Fugiamus igitur impietatem, vt & iudicium eius euadamus. Sectemur autem pietatem, vt DOMINVS sit refugium nostrum, & petra spei nostræ.

V S V S H V I V S P S A L M I.

Habes qualemcunq; Psalmi huius explicationem. Reliquum nunc est, vt hunc Psalmũ toto pectore cõplectamur. Multa cõtinentur in eo obseruati dignissima. Sed hoc insigne est, quod ait: Beatus vir, quem tu  
 exudies



erudieris, & docueris de lege tua, vt capiat tranquillitatem seu mitigationem à diebus malis, donec fodiat impio fouea. Et mox: Donec iustitia conuertat iudicium. Et post hoc: Omnes recti corde exultabunt. Docet enim pios affligi quidem in hoc seculo, sed Deum precipue duo promittere. Alterum, quod velit piorum afflictiones, dum adhuc præsentes sunt, & sentiuntur, mitigare, ac euentum dare, vt ferri queant. Alterum, quod velit postremo afflictiones omnino à pijs tollere, & ita eos liberare, vt nullam in æternum amplius sentiant afflictionem, sed fruantur perpetua felicitàte. Quid ergo nunc habes, quod conqueraris? Quid habes, quod metuas? & ad quod cohorrescas? Si propter piæ doctrinæ professionem, quæ non tam verbis, quàm factis fieri debet, imminent aduersa, nullum, si velis, accipies incommodum. Aut enim, diuina clementia, non accident: aut, si acciderint, certissima est primum quidem mitigatio, vt ferre queas: deinde etiam liberatio, vt per leuem & momentaneam afflictionem consequaris æternum pondus gloriæ. Hæc tibi David, & rex, & Propheta, legatione Dei fungens, in hoc Psalmo adnuntiat. Si captiuus esses, & accederet ad te potentissimus quispiam princeps, qui non solum institueret tecum colloquium, verumetiam polliceretur clementissimè, ac fidem quoque daret, se effecturum, vt statim mitigetur captiuitas, & paulo post captiuitate omnino libereris, quantum consolationis acciperes? quantum animo gestires? Et tamen humana promissio fallere potest. Nunc autem, en accedit, hoc Psalmo, ad te afflictum, non vulgaris quispiam princeps, sed rex: non profanus quidem homo, sed  
 Prophe



Propheta: qui non affert humana quædam somnia, sed diuina oracula: & plenus Spiritu sancto promittit tibi, nomine Dei, auxiliū in aduersis, & liberationem ex aduersis. Quid ergo adhuc sollicitus es? quid tibi adhuc deesse conquereris? Beatos iudicamus Patriarchas & Prophetas, quod habuerint collocutores angelos. Beatā dicimus Mariā virginē, quod dignata sit colloquio archangeli Gabrielis. Beatos Pastores, quod audiuerint angelos natiuitatem Christi adnuntiare. Ac profectò, non est mediocris pars beatitudinis, mutua habere cum angelis, spiritibus tam sanctis, colloquia. At quoties sumis in manus hunc aut alium Dauidis Psalmum, toties sentias ad te accedere, & tecum colloquium instituere Dauidem, qui tantò maior est angelis, quantò administratorij spiritus minores sunt ijs, propter quos in ministerium emittuntur. Et vt aliquid amplius dicam: Si angeli te accederent, & aliud tibi, quàm Dauid in hoc Psalmo, adnuntiarent, habendi essent pro anathemate, tantum abest, vt essent audiendi. Quanto igitur præstat colloquium Dauidis, colloquio angelorum? Magna est hominum, curiositasne dicam, an incredulitas. Parum fidei habent homini adhuc coram in carne existenti, & de cœlestibus rebus differenti. Heus tu, inquiunt, quando descendisti de cœlo? Cupiunt, quod diues in tormentis tartari ab Abrahamo petit, vt Lazarum ad fratres suos mittat. Si quis, inquiens, ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. Sed huic curiositati medetur Spiritus sanctus, cum dat nobis in manus Psalterium Dauidis. Quoties enim suscipis Psalmum Dauidis legendum, toties venit ad te Dauid ex mortuis, imò ex sinu Abraham, imò ex sinu Christi.

sti,



sti, & adnuntiat tibi, quæ Deus te scire, cognoscere & certissimè credere voluerit. Quòd si Dauidi sic venienti non adhibes fidem, certè nullam adhiberes fidem, etiamsi totus Angelorū, Patriarcharum, Prophetarū, & Apostolorum cœtus tibi coram concionaretur. Putasne, sine singulari Dei cura & prouidentia factum esse, quòd Psalmi Dauidis tot annis conseruati, & ad nos vsq; propagati sint? Numerantur iam à Dauide plusquam duo millia annorum, & quingenti, ex quo Spiritus sanctus Dauidem ad tradendos posteritati Psalmos suos excitauit. Et hi conseruati sunt, tanto tempore, tot eluionibus, tot bellis, tot incendijs, tot rerum omnium in terra mutationibus. Nullum ædificium, nullum regnum, nulla monarchia tot annis in terra constitit. Omnia hæc fuerunt, non mutationi tantum, verumetiam internecioni obnoxia. Psalmi autem Dauidis in tot ac tam varijs humanarum rerum casibus reliqui & salui manserunt. Quod certè argumentum est haudquaquam obscurum, hunc Dauidicorum Psalmorum librum singulari consilio Spiritus sancti nobis traditum & commendatum esse, vt voluntatem Dei ex eo perspicuè perciperemus. An non Petrus, cum iam recens Spiritu sancto donatus esset, ad Psalmos Dauidis, in prima sua concione properat? & è Psalmo Dauidis testimonium resurrectionis Christi allegat? Quid? Christus ipse filius Dei, postquam resurrexisset a mortuis, etsi erat in gloria & maiestate patris sui, suscipit tamen Psalmos Dauidis interpretandos, quemadmodum Lucas testatur. Hoc est luculentum testimonium, Dauidem afferre nobis cœlestem doctrinam, & colloquium eius, quod nobiscum in Psal-

N mis



mis suis instituit, esse verè diuinum oraculum. Quare,  
 si in afflictione, aut alijs rebus tenemur desiderio cog-  
 noscendæ voluntatis Dei erga nos, non est nobis op-  
 pus, vt ascendamus in cœlum, aut curramus trans ma-  
 re, sed prope nos, in manibus nostris sunt Psalmi Da-  
 uidis: hos amemus, hos legamus, in his dies noctesq;  
 meditemur. Quod cum faciendum susceperimus, non  
 ignaui stertamus, sed expergiscamur, & circumspicias-  
 mus. Non soli sumus, cum Davidis Psalmum recita-  
 mus, sed accedit ad nos in conclaue nostrum David,  
 rex regia maiestate ornatus, & Propheta Spiritu san-  
 cto comitatus. Quòd si angeli, quos certò sciremus es-  
 se angelos, nos accederent, & nobiscum colloquium  
 instituerent, quanta, quæso, veneratione, quanta fide,  
 verba eorum exciperemus? Sed hoc officium multo  
 magis debemus Davidi, quòd filius ipse Dei non re-  
 miserit nos ad nouas angelorum apparitiones, sed ad  
 veteres Davidis Psalmos intelligendos, & comme-  
 morandos, vt ex ipsis & voluntatem Dei cogno-  
 scamus, & fidem nostram, qua & iusti-  
 ficamur & seruamur, confir-  
 memus, Amen.

Psalmus



## Psalmus 95.

*Venite exultemus DOMINO, iubilemus, &c.*



Ens Hebræa, seu posteritas Abrahamæ, iam olim selecta est diuinitus, ut non solum acciperet in hereditatem terram Cananæam, & institueret in ea regnum & sacerdotium, verumetiam, ut ex ea gente nasceretur Christus filius Dei, qui superata morte, tutos nos redderet à morte, & conferret in nos æternam vitam & fœlicitatem. Ac consecuti quidem sunt, post varios casus, & multa rerum discrimina possessionem terræ Cananæ, & commorati sunt in ea multo tempore, ac habitauerunt in ea sub vite quisque sua, & ficu. Cum autem in plenitudine temporis venisset Christus filius Dei, ut ipsos à mortis iniuria vindicaret, & in possessione æternæ vitæ ac fœlicitatis collocaret, tantum abest, ut eum agnoscerent, & in eum crederent, ut etiam eum crucifigerent, & de terra viventium tollerent. Quod hinc adeo accidit, quia non venit in sublimitate maiestatis mundanæ, sed in humilitate exinanitionis: nec videbatur respondere expectationi ipsorum, sed potius omnem eorum expectationem frustrare. Suscipit igitur Spiritus sanctus in hoc Psalmo Christum DOMINUM nostrum celebrandum, & Ecclesiâ, siue illam Hebræorû, siue hanc Gentium, cohortandam, ut Christum DOMINUM nostrum, nihil humilis

N 2 cate



tate eius, & abiecta externa specie offensi, amplectantur, & in eum credant. Etsi enim videtur homo, iuxta externam speciem, contemptus, tamen si explicueris eum, est **DOMINVS** Deus magnus, & rex super omnes deos, qui sit adorandus, & in omnem æternitatem colendus.

1. *Agitedum, exultemus DOMINO, iubilemus petra salutis nostræ.*
2. *Accedamus sub conspectum eius cum gratiarum actione, & in Psalmis iubilemus ei.*

Hi duo versiculi sunt propositio exhortationis. Agite, vniuersa Ecclesia, tam vetus, quam noua, exultemus **DOMINO** nostro Iesu Christo, iubilemus petra salutis nostræ, accedamus in conspectum eius, cum gratiarum actione, & cum Psalmis: nulla hinc sit animi mœstitia, nulla angustia, sed omnia personent in conspectu Dei laudibus, iubilibus & canticis. Tribuitur autem Christo epitheton petrae, quod est tam in Prophetis, quam in Apostolicis scriptis vsitatum: Erre vobis, inquit Esaias, in sanctificationem, in petram autem scandali duabus domibus Israel. Et Paulus: Petra, inquit, erat Christus. Nec immerito reportet hoc cognomen, quod qui eo confidunt, non pudeant.

*Esa. 8.*

Sed audiamus nunc rationes, quæ nos mouere debeant, vt exultemus Christo **DOMINO** nostro, & celebremus gloriam nominis eius.

3. *Quoniam Deus Magnus DOMINVS, & rex Magnus super omnes deos.*

Prima ratio, cur Christus sit laudandus, & celebrandus:





dus: quia Christus, inquit, non est simplex homo, nec  
 est tantum angelus, sed est Magnus ille Deus Iehoua,  
 adeoque Magnus super omnes deos. Non excellit tan-  
 tum Heroës, non tantum angelos, sed excellit etiam  
 omnes deos. Etiam si, inquit Paulus, sunt, qui dicantur *1. Cor. 8.*  
 Dii, siue in cœlo, siue in terra, (quemadmodum sunt mul-  
 ti Dii, et multi Domini) siue iuxta Ethnicorum senten-  
 tiam, siue iuxta vulgarem opinionem, qua etiam ma-  
 gistratus & iudices dicuntur Dii, & reges ac patres fa-  
 milias, dicuntur Domini: nobis tamen vnus est Deus,  
 qui est pater ille, ex quo omnia, & nos in illum. Et  
 vnus est D O M I N V S Iesus Christus, per quem omnia,  
 & nos per illum. Et paulo post: Nullus per Spiritum  
 Dei loquens, dicit Anathema Iesum, & nemo potest  
 dicere D O M I N V M Iesum, nisi per Spiritum sanc- *1. Cor. 12.*  
 tum. Diuisiones autem donorum sunt, sed idem  
 Spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem  
 Dominus: & diuisiones operationum sunt, sed idem est  
 Deus, efficiens omnia in omnibus. Quare, siue conside-  
 raueris Christum secundum diuinitatis essentiam, De-  
 us magnus est, & rex super omnes deos, siue intuearis  
 eum secundum suam humanitatem, assumptus est in e-  
 andem personam, cum filio Dei, & cõsedit ad dextram  
 Dei patris. Itaque etiam hoc modo, est rex magnus su- *Ephes. 1.*  
 per omnes deos, quod sit collocatus supra omnẽ prin-  
 cipatum ac potestatem, & virtutem & dominium, &  
 omne nomen, quod nominatur, non solum in seculo  
 hoc, verum etiam in futuro, & omnia sint subiecta sub  
 pedes illius.

4. Quoniam in manu eius sunt abscondita terra, & altitudi-  
 nes montium ipsius sunt.

N 3

5. Quia



5. *Quia ipse est mare, & ipse fecit illud, & Arida manus eius formauerunt.*

Secunda ratio, cur Christus sit laude celebrandus: Quia Christus (inquit) est creator, conditor & administrator omnium rerum. In manu eius sunt tam abscondita, quàm conspicua terræ, tam infima, quàm suprema, tam metalla, quæ sunt in terræ visceribus, quàm arbores, quas producant montium sublimitates. Mare quoque et Arida, hoc est, terra, sunt Christi DOMINI nostri creatura. Etsi enim, quo tempore mundus est conditus, Christus nondum assumpserat humanam naturam, tamen  $\delta$  λόγος erat in principio, ac omnia per ipsum facta sunt, nec sine ipso factum est quicquam. Et postquam assumpsit in plenitudine temporis hominem, in eandem personam, euexit eum in tantam Maiestatem, ut simul etiam fecerit ipsum omnium rerum creatorem & seruatorem: Sciat, inquit Petrus, tota domus Israel, quod DOMINVM & Christum fecerit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Quemadmodum ergo ante incarnationem Christi, sine λόγος nihil factum aut creatum est, ita post incarnationem absque hoc homine, quem  $\delta$  λόγος in unitatem personæ accepit, nihil nec fit, nec creatur. Quid igitur faciamus? quomodo nos erga tantam maiestatem geramus?

*Act. 2.*

6. *Venite (ergo, inquit) adoremus, genua flectamus, & proci-  
damus coram DOMINO, qui fecit nos.*

Cum tanta sit Maiestas Domini nostri Iesu Christi, quod non sit homo tantum, sed etiam verus sit Deus,



Deus, & D O M I N V S, & Conditor, & Rex noster, reliquum est, vt exhibeamus etiam ei diuinum honorem. Adoremus eum, procumbamus ante eum, & præstemus ei illa officia, quæ decet præstari conditori & seruatori nostro.

7. *Quia ipse est Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.*

Tertia ratio, cur Christus sit omnibus officijs colendus, quia non tantum est Deus noster, creator, sed etiam pastor noster, hoc est, tutor, conseruator, & redemptor noster: Ego sum, inquit, pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus.

*Hodie, si vocem eius audieritis:*

8. *Nolite obdurare corda vestra, vt contigit in Meriba, & in Massa, in deserto.*

Postquam descripsit D O M I N V M Christum, & hortatus est, vt eum adoremus & colamus, nunc hortatur, vt vocem, hoc est, Euangelion eius audiamus, & fide percipiamus. Suscipit autem Epistola ad Hebræos, capite tertio & quarto, hos versiculos diligenter & copiose interpretandos. Ac primum, significat, autorem huius Psalmi, non esse somniatorem quendam hominem, sed Spiritum sanctum. Sicut dicit, (inquirens) Spiritus ille sanctus: Hodie, si vocem eius audieritis, &c. Deinde, docet hunc Psalmum, non nisi de Christo D O M I N O nostro intelligendum: Exhortes mini vos inuicem quotidie, quoad appellatur dies hodiernus,



2. Cor. 6.

diernus, hoc est, dies reuelati Christi, & tempus noui testamenti, Sicut & alias Paulus ait : Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis. Vnde sequitur in Epistola ad Hebræos : Rursus quendam præfinit diem, HODIE, in Dauid, dicens : Post tantum temporis, quemadmodum dictum est : Hodie, si vocem eius audieritis, ne obduretis corda vestra. Nam si eis Iosua, (qui eos introduxit in terram Canaan) requiem præstitisset, nequaquam de alio posthac die locutus fuisset. Adhæc, requiem interpretatur, non de requie Sabbathi, de qua in Genesi, capite secundo : Compleuit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo, ab vniuerso opere, quod patrârat. Aut de requie in terra Canaan, sed de requie æternæ fœlicitatis, in quam ingrediuntur sancti, vna cum Christo, post mortem. Postremò docet, ab hac æterna requie & fœlicitate, neminẽ excludi, nisi per incredulitatem, & neminem in eam ingredi, nisi per fidem : Videte fratres, inquit, ne quando sit in vlllo vestrum cor prauum, obnoxium incredulitati, Et iterum : Quibus prius adnunciatum erat, non introierunt propter incredulitatem. Ac rursus : Introimus in requiem nos, qui credidimus : vt prorsus cum illo Baptistæ dicto conveniat : Qui credit filio, habet vitam æternam. Qui vero non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Ioan. 3.

Deterret autem Psalmus ab incredulitate, & inuisitat ad fidem, exemplo Israelitarum, petito è libro Exodus, cap. 17. & è libro Numeri, cap. 14. Hodie, inquit, si vocem eius, si sermonem Euangelij eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut contigit in Meriba, & Mas



& Massa in deserto. Nam, cum Israel proficisceretur de deserto Sin, & peruenisset in Rephidim, laborarunt penuria aquæ. Excitati igitur grauitate sitis, rixati sunt aduersus Moſen, & vociferati sunt: Quare sic fecisti nos ascendere de Ægypto, vt interficeres me, & filios meos atq; pecora mea, siti? Hinc nomen loci illius, vbi hæc acta sunt, dictum est in memoriam rei gestæ, Meriba, (hoc est) Cōtentio: & Massa, hoc est, Tentatio, propterea, quòd Israelitæ contendissent, & rixati ibi essent cum Moſe, & tentassent DOMINUM, dicentes: Est ne DOMINVS in medio nostri, an non? Huius historiæ meminit hęc Psalmus, & suscipit eam illustrandam, vt auditores Euangelij, alieno periculo admoniti, cauerent sibi ab incredulitate, & amplecterentur prædicationem Euangelij de Christo, per fidem. Vide enim mihi, in quanta pericula, imò in quantam perniciem conijciant sese Israelitæ, tantum propter duricordiam & incredulitatem ipsorum? Primum enim, necesse habent quadraginta annis in deserto, incertis sedibus vagari. Deinde omnes, qui ab egressu ex Ægypto, exceſſerant annum ætatis vicesimum, ne Num. 14. cesse habent in deserto, morte extingui, vt etſi filij eorum ingrediuntur in terram promissam & optatam, tamen maiores natu hac foelicitate destituantur. Vnde & Psalmus veterem historiam prosequitur.

9. *Vbi (inquiens) tentauerunt me Patres vestri, probauerunt me, & viderunt opus meum.*
10. *Quadraginta annis pertæsus sum nationis huius, Et dixi: O Populus*



*Populus sunt errantes corde, nec agnoscunt vias meas.*

11. *Propterea, iuravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.*

Hæc historia copiosè scripta est in Numeris, capite decimo quarto. Israelitæ enim, commoti & excitati vociferationibus decem exploratorum, non solum abiiciunt animum de ingressu in terram Canaan, quamvis sanctè promissam, verumetiam Deum ipsum tentant: Est ne, inquietes, DOMINVS in nobis, an non? hoc est, dubitamus de vocatione nostra, num vocatione DOMINI egressi simus ex Ægypto, & peruenerimus in hoc desertum? Tantis malis obruimur, vt non credamus nos voluntate DOMINI suscepisse hanc profectionem, sed temerè eductos esse ex Ægypto, arbitrio tantum priuato Mosi & Aheronis. Præterea, parum abest, quin Mosen & Aheronem lapidibus obruant, & alios duces, qui reducant ipsos in Ægyptum, constituent. Quid autem est, non iam dico, ingratitude & incredulitas, sed furor & immanitas, si hæc non est? Tot extabant promissa, iam inde à temporibus Patriarcharum, de terra Canaan, tot ædita erant hæctenus miracula in Ægypto, in mari rubro, & in deserto, quibus Deus perspicue suam voluntatem significauerat, adeoq; testificatus fuerat, & tamen nondum quicquam fidei apud hunc incuruicium populum inuenerat? Probauerunt (inquit) me, viderunt opus meum, re ipsa compererunt, me eduxisse ipsos ex Ægypto potenti manu, viderunt miracu-



miracula mea, eaq̄ non simplicia, sed stupenda, quibus meam præsentissimam opem probavi: & tamen meditabantur receptum in Ægyptum. O impietas: Quare, ego, inquit D O M I N V S, pertæsus sum huius nationis, quadraginta annis. Vbi nos interpretati sumus, pertæsus sum, Hebræus habet אָכַז Akut, quod est futurum pro præterito. Et venit à verbo אָכַז Kut, quod significat abominari & tædere. Græcus transtulit προσώχθισσα, à verbo προσώχθίζω, quod significat despiciere, aut etiam appropinquare. Vnde & nonnulli veteres transtulerunt, proximus fui, (hoc est) præsentavi me, quemadmodum Augustinus interpretatur, in signis & virtutibus non vno die, non duobus, sed quadraginta diebus. Hoc idcirco commemorare visum est, vt rationem veteris lectionis in hoc Psalmo indicarem, nam propria translatio est, pertæsum esse, seu abominari. Cum igitur in deserto Israelitæ tanta essent incredulitate, vt meditentur receptum in Ægyptum, Deus quadraginta (inquit) annis, odi hanc incredulam nationem, ac re ipsa testatus sum, ipsos impio esse corde, nec vllam promissis meis fidem habere, ideoq̄ tot etiam annis circumduxi eos in deserto, vt non introducerem in terram promissam, sed vt tantisper in deserto vagarentur, donec morte extinguerentur. Iuramento enim firmaueram, Si, inquam, introibunt in requiẽ meam. Hæc fuit vsitata iurandi forma. Psal. 89. Semel iuravi per sanctitatem meam, Si David mentiar, hoc est, non mentiar. Et 2. Samuel. 3. Iuravit David, dicens: Hęc faciat mihi Deus, & hęc addat, Si ante oc-

O 2 casum



casum Solis gustauero panem, hoc est, non gustabo panem. Sic & hoc loco: Quibus iuravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam, (hoc est) non introibunt in requiem meam. Illud autem vult sibi Psalmus hoc exemplo: Si Deus tanta seueritate animaduertit in Israelitas, qui non obedierunt verbo eius, loquentis per Moysen, seruum suum, quanta obsecro seueritate animaduertet in nos, si non obedierimus, & si increduli fuerimus Euangelio eius, loquentis nobis per filium suum? Eodem respicit etiam Epistola ad Hebræos: Qui aspernatus, inquit, fuerit legem Moysi, absque misericordia, sub duobus aut tribus testibus, morietur. Quanto putatis, peioribus afficietur supplicijs, qui filium Dei conculcat, & sanguinem testamenti, ceu rem prophanam habuerit, per quem fuerat sanctificatus, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit? Non igitur committamus, vt vocem Euangelij DOMINI nostri Iesu Christi, vnigeniti filij Dei, per incredulitatem aspernemur, sed vt eam summa fide excipiamus, atque DOMINUM ipsum Iesum Christum adoremus, & omni quo possumus officij genere colamus.

## VSVS HVIVS PSALMI.

In Pontificia religione, solenne ac vsitatum fuit, sacra horarum, quas ita vocarunt, Canoniarum, ab hoc Psalmo auspiciari. Sed ea fuit illorum sacrorum ratio, vt quod Christus de Scribis & Phariseis ex Esaia concionatur, hoc etiam ad Pontificios Sacrificulos aptissime transferri queat: Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat, cæterum cor eorum  
procul

*Matth. 15.*  
*Esa. 29.*



procul abest à me. Sed frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Non igitur imitemur mores horum hypocritarum, nec ore tantum & labijs honoremus DOMINUM, sed quod hic Psalmus verbis monet, hoc re ipsa præstemus. Proponit enim nobis Maiestatem DOMINI nostri Iesu Christi cognoscendam, quòd & sit DOMINVS Deus Magnus, & rex Magnus super omnes deos, cui data sit omnis potestas in cœlo & in terra. Quare non solum audiamus vocem Euangelij eius obedienter, sed etiam adoremus Maiestatem eius, & colamus eum, cum in omni nostra vita, tum omni genere officiorum, vt fœlici & æterna requie, quam omnibus dilectis suis parauit, fruamur.

## Psalmus 96.

*Cantate DOMINO canticum nouum, cantate  
DOMINO, &c.*



St & hic Psalmus descriptio seu encomion Messiaë, (hoc est) DOMINI nostri Iesu Christi, & regni eius. In decimo enim huius Psalmi versiculo dicitur: Dicite in Gentibus, DOMINVS regnat. Quod haud obscure dicitur de vocatione Gentium, quæ tum demum facta est, cum passo & resuscitato Christo à mortuis, Euangelion vulgatum est per Apostolos, in orbem terrarum, & prædicatum



catum est inter omnes gentes, vt qui crederent & baptizarentur, salui fierent. Qui vero non crederent, condemnarentur. Adhæc, in decimo tertio versiculo dicitur *DOMINVS* venire, & iudicare orbem in iustitia, & populos in veritate. Hoc autem impletum est, cum Christus misit Spiritum sanctum, qui argueret, seu iudicaret mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio. Non igitur dubium est, quin hic Psalmus vaticinetur de regno Christi, ac describat conditiones, tam personæ Christi, quam regni eius.

1. *Cantate DOMINO canticum nouum, cantate DOMINO omnis terra.*
2. *Cantate DOMINO, benedicite nomini eius, adnunciate de die in diem, salutem eius.*
3. *Narrate inter gentes gloriam eius, in vniuersis populis, mirabilia eius.*

Hi tres versiculi sunt propositio, qua admonentur & excitantur omnes populi, ad laudandum nomen Christi, & ad celebrandam gloriam eius. Cantate, (inquiunt) *DOMINO* nostro Iesu Christo canticum nouum. *NOVVM*, inquam, Nam vetus illud canticum de exitu ex Ægypto, etsi fuit de rebus admirandis & stupendis, tamen præ illo, de quo in præsentia est cantandum, vix erat umbra. In egressu enim ex Ægypto, affecuti quidem sunt Israelitæ corporalem quandam libertatem, & terrenam, in hoc autem carmine celebrabitur spiritualis & cœlestis  
liber



libertas. In veteri carmine, de egressu ex Ægypto, commendatur redemptio à crudeli quidem tyranno, externo tamen, qui ultra corpus non potuit in homines sæuire. In hoc autem commendatur redemptio ab immanitate Tyranni sæuientis in vniuersum humanum genus, non tam in corpus, quàm in animam, idq; non vno tantum tempore, sed in omnem æternitatem. In veteri carmine insultatur Pharaoni, qui submersus est in mari rubro, vt Israel à ciuilibus oneribus liber euaderet. In nouo autem insultatur satanæ, qui præcipitatus in tartarum, vinctus est catenis noctis, vt qui habebat imperium mortis, aboleretur per mortem, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti. Quanto igitur beneficium illud nouum regni Christi excellit beneficium vetus & Ægyptiacum, tanto alacrius nouum carmen decantandum est. Quod Psalmus de nouo carmine intelligit, hoc Propheta Hieremias de nouo fœdere interpretatur: Ecce dies veniunt, dicit **D O M I N V S**, & non dicent ultra: Viuit **D O M I N V S**, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti, sed viuit **D O M I N V S**, qui eduxit & adduxit semen domus Israel de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos. Et iterum: Ecce dies venient, dicit **D O M I N V S**, & feriam domum Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patrib. vestris, in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, &c. Deinde, Psalmus non iubet tantum cantare **D O M I N O** nostro Iesu Christo canticum **N O V V M**, verum etiam iubet cantare omnem terram, omnes incolas terræ. Quondam cantabat **D O M I N O** in finibus tantum Israeliticis,

*Hiere. 23.*

*Hiere. 31.*

cis,



cis, & in angustiis terminis terræ Canaan. Nunc autem cantet, inquit, DOMINO OMNIS terra, omnes Gentes. Nec solum cantate omnes Gentes, verumetiam benedicite nomini eius. Nam, cum omnes Gentes benedicantur in Iesu Christo DOMINO nostro, iustum est, vt vicissim omnes Gentes benedicant, (hoc est) laudent & celebrent nomen eius. Adhæc, adnuntiate de die in diem, salutem eius, (hoc est) prædicatè singulis diebus, & quouis tempore salutem eius, quod quisquis crediderit in ipsum, consequatur æternam salutem. Præterea, narrate, adnuntiate, & prædicatè gloriam, siue Maiestatem Christi inter Gentes, adeoq; in omnibus populis mirabilia eius. Mirabilia autè Christi sunt, non solum quæ in his terris ædidiit, sanatione infirmorum, restitutione visus cæcorum, solutione linguæ mutorum, apertione aurium surdorum, exuscitatione mortuorum, verumetiam incarnatione, qua assumpsit in vnitatem personæ suæ humanam naturam, passione & morte sua, qua humanum genus à morte redemit, resurrectione sua à mortuis, qua nos viuificauit, ascensione sua in cœlum, & sessione sua ad dextram Dei, patris sui omnipotentis, qua subiecit sibi omnia, tam in cœlo, quam in terra. Hæc omnia sunt admiranda, & in vniuersis terris decantanda & celebranda. Habes propositionem Psalmi, qua Spiritus sanctus cohortatur, non tantum Iudæos circumcisos, verumetiam omnes Gentes incircumcisas, ad laudem DOMINI nostri Iesu Christi, & ad commendationem nominis eius.

4. *Quoniam Magnus DOMINVS, & superans omnem laudem, reuerendus super omnes deos.*

Propos



Propositionem sequuntur *αἰτιολογίαι*, propter quas Christus **DOMINVS** noster sit laudandus, & decantandus, quarum vna est: Quia Magnus (inquit) est **DOMINVS** Christus, superans omnem laudem, & Maiestate sua excellens omnes deos. Nam, si eum iuxta diuinitatem suam respexeris, verus est Deus, à patre suo cœlesti, ab æterno genitus, immensus & omnipotens. Si autem consideraueris eum iuxta humanitatem suam, verus quidem est homo, ex substantia virginis matris suæ, in plenitudine temporis natus, & tempore exinanitionis suæ, ad mortem vsq; crucis humiliatus, sed interea ad summam sublimitatem euectus, & donatus nomine super omne nomen, vt in nomine eius omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & inferorum. Cum igitur tanta sit Maiestas Christi, vt non solum superet omnem humanam laudem, verumetiam superet omnes Deos, siue illos cœlestes principatus & dominationes, siue hos terrestres Heroes, haud immeritò summa laude inter omnes Gentes est celebrandus & colendus.

5. *Quoniam omnes Dij populorum sunt idola, DOMINVS autem cœlos fecit.*

Alia ratio, cur solus Christus sit colendus, quia omnes (inquit) Dii populorum, seu reliquarum gentium sunt idola, simulachra, sculptilia, & vanitates. Solus autem Christus **DOMINVS**, verus est Deus, creator cœli et terre. Ceterum, vbi nos transtulimus Idola, seu simulachra, ibi Hebræus habet *אֱלִילִים* Elilim, Græcus transtulit *δαίμονια*. Significat autē *אֱלִיל* Elil, inutile, P vanum,



vanum, nihil, quòd idolà Gentium, sint inutilia & vana simulachra. Etsi enim sunt argentea & aurea Idola, tamen sunt factitia hominum opera, quæ, vt alij Psalmi canunt, oshabent, & non loquuntur, oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt. *DOMINVS* autem noster Iesus Christus, verus est Deus, & verus homo, verus creator & redemptor noster, non, qui nō possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatus per omnia, iuxta similitudinem, absq; peccato, vt possit & ijs, qui tentantur, succurrere.

*Psalm. 114.*

*Psalm. 134.*

6. *Gloria & decor est in conspectu eius, potentia & Maiestas est in sanctuario eius.*

Alia ratio, cur Christus sit celebrandus & reuerendus, quia Gloria ( inquit ) & decor in conspectu eius, & in sanctuario eius, potentia & maiestas. In Exodo, cap. 25. instituitur Arca, quæ vocatur Testamenti, & propitiatorium aureum, quod imponebatur Arcæ. Instituantur præterea duo Cherubim, ex auro cōfecti, obumbrantes alis suis propitiatorium. Offeruntur etiam pro ratione eius temporis, coram Arca, varia dona & sacrificia. Hæc omnia adumbrauerunt *DOMINVM* nostrum Iesum Christum, qui primum vera est arca Testamenti, continens duas tabulas Decalogi, quòd in Christo sint omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi. Deinde, verum est Propitiatorium, quòd propter Christum reconciliatus & propitius factus sit Deus pater humano generi. Adhæc, *DOMINVS* sedere dicitur super Cherubim, quòd in Christo inhabitet omnis plenitudo deitatis corporaliter. Postremo, offerunt



offeruntur ad Arcam sacrificia, quod solus Iesus Christus sit verum sacrificium, quo expiata sunt coram Deo omnia humani generis peccata. Cum igitur potentia & Maiestas DOMINI nostri Iesu Christi, tam decorè, & tam gloriòse in Sanctuario, quod à Mose institutum est, adumbretur, & quod adumbratum est, in plenitudine temporis, sit impletum & absolutum, Christus iure ac meritò laudandus, & omni diuinorum officiorum genere, tanquam verus Deus colendus est. Vnde & pergit Psalmus omnes populos cohortari, vt agnoscant Christum, & sua ei dona ac munera præstent.

7. *Afferte, inquit, DOMINO vos familiae populorum, afferte DOMINO gloriam & fortitudinem.*

Iubet non tantum Israelitas seu Iudæos, verum etiam familias Gentium & populorum, agnoscere DOMINUM Iesum Christum, & tribuere ei maiestatem fortitudinis, & gloriam omnipotentiae. Nam, cum Deus pater donauerit ei nomen, super omne nomen, vt in nomine eius omne genu se flectat, coelestium, ac terrestrium & inferorum, cur non etiam omnes omnium gentium familiae deferrent ei honorem summæ maiestatis? Ac vt videas Spiritum sanctum rem seriè agere, repetit & inculcat idem.

8. *Afferte DOMINO gloriam nomini eius, adducite oblationem, & introite in atria eius.*

Non verbis tantum tribuite nomini eius gloriam,  
P 2 sed



sed etiam oblationibus, adeoq; re ipsa testificemini vestrum obsequium. Vbi nos transtulimus Oblationem, ibi Hebræus habet מִנְחָה Minha, quod significat oblationem farinariam, cum oleo & thure apparatusam, de qua in Leuitico, cap. secundo. Et adumbravit precationem, iuxta illud Psalmi 141. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, Eleuatio manuum mearum, oblatio seu sacrificium vespertinum. Iubet igitur hic versiculus, vt non tantum Iudæi, verumetiam omnes Gentes introeant in atria, in templum DOMINI, & inuocent nomen Christi. Non enim est distinctio, vel Iudæi vel Græci. Nam idem DOMINVS omnium, diues in omnes inuocantes se. Quisquis enim inuocauerit nomen DOMINI, saluus erit.

Rom. 10.

9. *Adorate DOMINVM in ornatu sancto, timeat eum vniuersa terra.*
10. *Dicite inter Gentes: DOMINVS regnat, & firmavit (regnum suum) per orbem terrarum, ne moueatur, Iudicat populos in æquitate.*

Quid plura dicam? Conferam in pauca: Non solum offerte DOMINO nostro Iesu Christo gloriam & oblationem, verumetiam adore eum in ornatu sancto, (hoc est) in fide, vt verum DOMINVM Deum vestrum, & timeant, atq; colant eum omnes habitatores terræ. Adnuntiate inter gentes, quod Deus fecerit hunc Iesum, quem Iudæi crucifixerunt, DOMINVM & Christum, & quod non sit aliud nomen sub cælo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Hoc, inquam, Euangelion prædicandum est in toto orbe



orbe terrarum, aduersus quod, ne quidem portæ inferorum valebunt, vt maneat Christus, iustus iudex viuorum & mortuorum. Cum his Psalmi versiculis conuenit, quod Esaias cap. 40. scribit: Exalta, inquit, vocem tuam, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus vester. Ecce **D O M I N V S** Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Et iterum, cap. 52. Quam pulchri super montes pedes adnunciantis & dicentis Zion: Regnat Deus tuus. Ac mox: Parauit **D O M I N V S** brachium sanctum suum, in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ, salutare Dei nostri. In his igitur Prophetiis vaticinijs prædicatur Christus. Primum, quod ad personam suam attinet, verus **D O M I N V S** Deus noster. Deinde, quod ad regnum eius attinet, Regnum æternum, perpetuò firmatum. Postremo de iudicio eius, quòd iudicet omnes populos in æquitate.

11. *Latentur cæli, & exultet terra, fremat mare, & quicquid in eo est.*
12. *Gaudeat ager, & omnia quæ in eo sunt, exultent vniuersæ arbores in syluis.*
13. *Coram **D O M I N O**, quia venit, quia venit ad iudicandam terram, vt iudicet orbem in iustitia, & populos in sua veritate.*

Postquam Psalmus descripsit personam Christi, & maiestatem regni sui, cohortatur nunc vniuersas creaturas, ad congratulationem, propterea quòd & vniuersæ fruuntur beneficijs eius: Lætentur, inquit, cæli, Nam & cœlestia fruuntur beneficijs Christi, &



*Col. 1.* regni eius. In illo, inquit Paulus, complacitum est patri vniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius, per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ IN COELIS, in cœlis, inquit. Postquam enim Christus placauit iram Dei, reconciliauit etiam Angelos, qui sunt cœlestes ciues, cum hominibus, vt Angeli in natiuitate Christi cecinerint: Gloria in excelsis Deo, ac in terra pax in hominibus, bona voluntas. Exultet etiam terra, Nam & ipsa maximè omniū fruatur beneficijs Christi, & regni eius, quod homines huius terræ incolæ, redempti sint per Christum, a potestate tenebrarum, ac translati in regnum Dei. Præterea, fremat mare, & quicquid in eo est. Hæc est periphrasis insularum maris. Per fremitum autem & tumultum maris, intellige gaudium & iubilationem illorum, qui in insulis maris commorantur. Cum enim hi omnes capiant fructum beneficiorum Christi, congruens est, vt fremant & tumultuentur, hoc est, suam, quoquo modo possunt, exultationem & congratulationem testificentur. Gaudeat etiam Ager, & omnia quæ in eo sunt. Nec ab hac congratulatione excludantur arbores sylvarum. Breuiter, omnes creaturæ, tam cœlestes, quam terrestres, tam campestris, quam syluestres, tam marinæ, quàm transmarinæ, lætentur & exultent, idq; coram DOMINO, vt declarent suam erga illum gratitudinem. Sed ob quam causam exultent & congratulentur? Quia venit, venit, inquam, DOMINVS Iesus Christus, ad iudicandam terram, imo totum orbem terrarum, idq; in iustitia & veritate. Venit autem DOMINVS Iesus Christus duplici ratio



ratione ad iudicium. Altera, cum diuulgat, misso Spiritu sancto, Euangelion in vniuersum mundum, vt qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus fiat. Qui verò non crediderit, condemnetur. Altera, cum omnes, qui sunt in monumentis, audient vocem eius, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Cæterum, cum dicitur in Psalmo, Christum iudicaturum orbem in iustitia, & populos in veritate, considerandum est, quòd duplex sit iustitia. Vna, iustitia legis, quæ est perfecta obseruatio Decalogi. Si igitur Christus, secundum hanc iustitiã iudicaturus esset orbem, omnes homines condemnarentur: In conspectu enim tuo non iustificabitur omnis viuens. Et: Si iniquitates obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Alia est iustitia Euangelij, quæ est iustitia in Christo, per fidem. Cum igitur dicitur, Christum iudicaturum orbem in iustitia & veritate, intelligendum est, eum iudicaturum Ecclesiam suam, secundum hanc fidei iustitiam, vt qui crediderit in Christum, siue circumcissus, siue incircumcissus, saluus fiat. Iustitia enim est, vt tribuatur vnicuique quod debetur. Veritas est, vt quod promissum est, seruetur. Debetur autem, iuxta promissionem credenti in Christum, salus & vita æterna. Quare res est summo gaudio & congratulatione dignissima, quòd Christus veniat iudicaturus Ecclesiam suam, non secundum iustitiam Legis, sed secundum iustitiam Euangelij, vt qui crediderit in Christum, consequatur salutem & vitam æternam.

Vfus



## V S V S H V I V S P S A L M I .

Ab initio orbis terrarum, extant promissiones de Christo vero seruatore nostro: extant & sacrificia, Christum adumbrantia: extant etiam Propheticae explicationes, de morte & resurrectione Christi, & de regno ac maiestate eius. His accesserunt multi Psalmi, (in quorum numero etiam hic nonagesimus sextus continetur) in quibus vaticinia de Christo, tam perspicue exposita sunt, vt in Israelitica Ecclesia, aduentu Christi nihil fuerit vulgatius & decantatius. Sed hinc vide mihi stupendam & immanem Israelitarum excæcationem. Cum enim Christus iuxta Propheticas promissiones adueniret, & maiestatem suam admirandis signis testificaretur, tantum abfuit, vt Israelitæ eum agnoscerent & reciperent, vt etiam eum crucifigerent, & de terra viuentium tollerent. Et, quemadmodum Paulus ait: *Acto. 13.* Qui habitabant Hierosolymis, & principes eorum, quum ignorarent illum, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, condemnato eo, impleuerunt, nullaque causa mortis inuenta, petierunt à Pilato, vt interficerent illum. Vnde ergo tantus stupor & vnde tam horribilis incredulitas? Ad hoc respondet Euangelista & Apostolus Ioannes: Propterea, inquit, non poterant credere, quia Esaias dixit: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ne viderant oculis, & ne intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Fruamur igitur aliena insania, & agnoscamus seueritatem iræ diuinæ, in contemptores Christi, ac Euangelij eius, vt si vocem eius audierimus, non



non obduremus, ( quod proximè præcedens Psalmus admonuit ) corda nostra, sed adoremus, & procidamus coram DOMINO Iesu Christo nostro, vt æternam salutem consequamur.

## Psalmus 97.

DOMINVS regnavit, exultet terra, lætentur, &c.



VNC Psalmum intelligendum esse de Christo & regno eius, testatur, præter alia argumenta, etiam Epistola ad Hebræos, quæ docens discrimen inter Christum & Angelos, allegat ex hoc Psalmo testimonium: Cum inducit (inquiens) primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli. Hoc hemistichium *Heb. 1.* continetur in septimo versiculo huius Psalmi. Inter Christum enim & Angelos, siue ( vt habet alia tractatio ) Deos ( Elohim enim, quod est in Hebræo textu, significat & Angelos, & Deos ) illud est discrimen, quod Christus sit rerum omnium creator, & adorandus, Angeli autem sint creaturæ, quæ Christum adorare debeant. Et Christus sedeat ad dextram Dei patris omnipotentis, Angeli autem sint spiritus administratorij, qui in ministerium emittuntur, propter eos, qui hæredes erunt salutis. Quare, Christus tanto excellentior est Angelis, quanto maiestate & dignitate  
 Q superat



superat creator creaturam, & Dominus ad dextram  
Dei exaltatus, seruos & ministros.

1. *DOMINVS regnat, exultet terra, lætetur multitudo  
insularum.*

Hic **DOMINVS** est Iesus Christus, qui dicitur res-  
gnare. Primum quidem diuinitate sua, qua est rex æ-  
ternus, eiusdem essentiae cum Deo patre, & Spiritu  
sancto. Deinde humanitate, quã in plenitudine tem-  
poris assumpsit in eandem personam, & collocauit es-  
am ad dextram Dei patris sui omnipotentis, ac data  
est ei omnis potestas in cœlo & in terra. Cum igitur  
hic **DOMINVS** regnum suscepit administrandum  
& gubernandum, iustissimum est, vt simul & terra ex-  
ulter, & multitudo insularum lætetur. In administra-  
tione enim regni huius, peccatum est expiatum, Deus  
pater est humano generi reconciliatus, mors est deuic-  
ta, satan est contritus, & infernus expugnatus. Loco  
autem horum introducta est iustitia, vita & gaudium  
cœleste. Cum igitur his beneficijs fruuntur homines,  
tam terrestres, quàm insulares, merito ipsis lætandum  
est, & exultandum.

2. *Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium fir-  
mamentum throni eius.*

*Exo. 19.* In promulgatione Decalogi, **DOMINVS** descens-  
dit de cœlo, magna maiestate. Cœperunt enim audiri  
tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operis-  
re montem, ac totus mons Sinai fumabat. Si autem  
promul-



promulgatio Decalogi, facta est in maiestate, congruens fuit, vt promulgatio Euangelij fieret in maiestate. Nam, si administratio mortis, inquit Paulus, in literis <sup>2. Cor. 3.</sup> deformata in faxis, fuit in gloria, cur non potius administratio Spiritus erit in gloria? Et si administratio condemnationis, gloria, multo magis excellit administratio iustitiæ in gloria. Dicitur ergo nubes & caligo in circuitu DOMINI nostri Iesu Christi, quia sicut promulgatio Decalogi facta est in nube & caligine, (hoc est) in maiestate, ita etiam promulgatio Euangelij in die Pentecostes facta est in maiestate, eaq; maiori & illustriori, quanto administratio iustitiæ & vitæ superat administrationem peccati & mortis. In die enim Pentecostes, missus est Spiritus sanctus Apostolis, specie ignearum linguarum: & Apostoli coeperunt magnalia Dei varijs linguis loqui, & in nomine Christi inaudita miracula edere, vt quotquot audirent & viderent, obstupescerent. Quare congruenter dicitur, in circuitu DOMINI nostri Iesu Christi, esse nubem & caliginem, propterea quod ad exemplum promulgationis Decalogi, quæ facta est maiestate nubis & caliginis, promulgatio Euangelij facta sit in die Pentecostes, multo maiori gloria & maiestate. Deinde, iustitia & iudicium dicuntur firmamentum Throni Christi. Quia, quemadmodum in regnis mundanis, Throni regij stabiliuntur, si Reges tueantur bonos, quod vocatur iustitia, & coërceant malos, quod vocatur iudicium: ita firmamentum Throni Christi, est iustitia & iudicium, quia in eo, qui credunt in Christum, iustificantur & seruantur, qui verò non credunt, condemnantur. Vnde Psalmus septuagesimus secundus petit, vt

Q 2 tit, vt



tit, vt Deus det iudicium suum Regi, & iustitiam suam filio Regis, hoc est, vt mittat **DOMINUM** Christum, qui suscipiat gubernaculum Regni sui, & administret ipsum in iustitia & iudicio, quo credentes seruentur, increduli autem & impœnitentes condemnentur.

3. *Ignis ante ipsum præcedit, & exurit per circuitum hostes eius.*
4. *Affulgent fulgura eius orbi, videt & contremiscit terra.*
5. *Montes soluantur sicut cera, à facie **DOMINI**, à facie dominatoris vniuersæ terræ.*

Cum **DOMINVS** Iesus Christus sit Rex, suscipit etiam Regnum suum gubernandum, sed quibus armis? & quo sceptro? Non est regnum mundanum, non regnum corporale, sed regnum spirituale & cœleste. Ad gubernationem igitur regni sui, non vtitur armis carnalibus, aut sceptro mundano, sed virgam seu sceptrum virtutis tuæ emittet (inquit) **DOMINVS** ex Zion, dominare in medio inimicorum tuorum. Et: De Zion exhibit Lex, & verbum **DOMINI** de Hierusalem. Christus enim gubernat Regnum suum in hoc seculo per prædicationem Euangelij, quod est sceptrū eius, & quod per Apostolos diuulgatum est in totum orbem terrarum, initio factō in Zione, seu Hierusalem. Prædicatio autem Euangelij, non illuminat tantum credentes, nec est odor tantum vitæ ad vitam, sed etiam excæcat sensus incredulorum, & est odor mortis ad mortem. In iudicium, inquit Christus, veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident,

*Psal. 110.*

*Esa. 2.*

*2. Cor. 4.*

*2. Cor. 2.*

*Ioan. 9.*

dent,



dent, cæci fiant. Psalmus igitur verè dicit, quòd Christum seu Euangelion Christi præcedat ignis, qui hostes eius non illuminet, sed exurat. Deinde, præcedunt Christum, etiam fulgura, quæ ita affulgent toti orbi terrarum, vt terra videat & contremiscat. Hæc fulgura & tonitrua sunt & ipsa prædicatio Euangelij. Vnde de Christus imposuit Apostolis suis, Iacobo & Ioanni *Marci 3.* nomina Boanerges, hoc est, filios tonitruui, quòd prædicatione Euangelij, non loqui, sed tonare & fulgurare visi sint. Nam, sicut in tempestatibus, cum tonat & fulgurat, terra cohorrescere & contremiscere videtur, ita ad prædicationem Euangelij, cohorruerunt omnes impij, sapientes huius mundi, & potentes, & hypocrite, quod hi metuerunt suæ sanctitati, illi suæ potentia, & isti suæ sapientia. Ad hæc, à facie DOMINI, hoc est, ad prædicationem Euangelij montes, instar ceræ, dissoluti sunt, quia Euangelion deijcit, & demolitur omnem humanam altitudinem & excellentiam. Perdit enim sapientiam sapientium, & intelligentiam intelligentium reijcit. *1. Cor. 1.* Vbi sapiens? vbi scriba? vbi disputator seculi huius? Nonne infatuauit Deus sapientiam mundi huius? Et iterum: Arma militiæ nostræ non *2. Cor. 10.* carnalia sunt, sed potentia Deo, ad demolitionem munitionum, quibus armis consilia demolimur, & omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo, & in promptu habemus vindictam aduersus omnem inobedientiam. Atq; hæc quidem est tempesta, quam in orbe terrarum prædicatio Euangelij inter sapientes, potentes & hypocritas, seu illos, qui volunt videri sancti, excitauit. Sed quid?

Q 3

Num



Num prædicatio Euangelij in regno Christi, tantum ad destructionem, non item ad ædificationem patefacta est? Nihil minus. Sequitur enim.

6. *Adnuntiant cœli iustitiam eius, & vident omnes populi gloriam eius.*

Euangelij prædicatio, non solum ciet tumultum inter sapientes, potentes, & sanctulos huius mundi, verum etiam instaurat sub omni cœlo, iustitiam Christi, ut omnes populi videant gloriam eius. Adnuntiant, inquit, cœli iustitiã eius, (hoc est) Cum in omnem terram exeat sonus Apostolorum, & in fines terræ verba eorum, instauratur prædicatione Euangelij Apostolici, sub omni cœlo, in vniuersa terra, iustitia Christi. Euangelio enim Christi prædicatur, quod quisquis crediderit in Christum, iustificetur per fidem in ipsum, ut quam iustitiam, nullus hominum potuit consequi per Legem, & merita operum legis, credentes consequerentur coram Deo propter Christum. Et quia hoc Euangelion prædicatur apud vniuersam creaturam, quæ sub cœlo est, (sicut Paulus dicit) & omnes, qui credunt, coram Deo iusti propter Christum habentur, idcirco etiam vniuersa creatura gloriam Christi videre dicitur, quod vniuersis conspicienda proponatur, etsi alij quidem per fidem ea fruuntur, alij autem per incredulitatem repellunt.

Colo. 1.

7. *Pudescunt omnes, qui seruiunt sculptili, qui gloriantur in idolis. Adorate eum omnes Angeli.*

Aliud



Aliud beneficium, quod ex prædicatione Euangelij vniuerso orbi contingit: Quia pudefiunt, (inquit) cultores sculptilium & idolorum. Christus autem in tantam maiestatem euehetur, vt etiam ab Angelis adoratur. Ad prædicationem enim Euangelij de Christo, cecidit Idolomania populorum, quæ in toto mundo, apud omnes gentes obtinebat: in locum autem eius successit inter gentes, cultus DOMINI nostri Iesu Christi. Huc pertinet, quod est apud Esaiam: *Zion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia. Et conteret scelestos & peccatores simul: & qui dereliquerunt Dominum, confumentur. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt. Ac iterum: Incuruabitur omnis sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum. Et eleuabitur DOMINVS solus in die illa, & idola penitus conterentur.* *Esa. 1.* *Esa. 2.*

8. *Audiuit & letata est Zion, & exultant filia Iuda, propter iudicia tua DOMINE.*  
 9. *Quoniam tu es DOMINVS excelsus super omnem terram, valde exaltatus es super omnes deos.*

Zion & filia Iuda, partim sunt externi Israelitæ, quorum multis Euangelion Christi fuit iucundissima concio, & acceptissima prædicatio: partim vera Ecclesia Christi, ex toto orbe collecta. Euangelion enim affert vniuersæ Ecclesiæ, tam ex Iudæis, quam ex Gentibus vocatæ, summam lætitiæ & exultationem. Quis enim non lætaretur & exultaret, ad certam & indubitatam famam expiati peccati, deuictæ mortis, expurgati satanæ, & extincti inferni, ac in locum eorum repos



repositæ iustitiæ, reuocatae vitæ, & restituti regni cœlestis. Hæc autē omnia adnuntiat Euangelion Christi. Quare, qui audiunt ex fide, teneri non possunt, quin ex animo lætentur, & mirificè exultent, idq; propter iudicia, inquit, tua, (hoc est) propter doctrinam seu administrationem regni tui. Doctrina enim Euangelij, qua Christus administrat regnum suum, potentia Dei est, ad salutem omni credenti. Nec mirum est, quòd doctrina Christi sit tam potens & salutaris, cum Christus ipse sit **D O M I N V S** excelsus super omnem terrā, & superet maiestate sua omnes, siue Deos, siue Angelos, quippe quem Deus sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & virtutem, & dominium, & super omne nomen, quod nominatur, non solum in seculo hoc, verūmetiam in futuro.

10. *Qui diligitis **D O M I N V M**, odio habete malum, Custodit animas sanctorum suorum, de manu impiorum liberabit eos.*

*Ephe. 4.* Descriptionem regis, **D O M I N I** nostri Iesu Christi, sequitur cohortatio ad Ecclesiam, hoc est, ad subditos regni eius, qua admonentur, vt qui diligunt **D O M I N V M** Iesum Christum, odio habeant malum, (hoc est) ducant vitam huic regi & regno congruentem & dignam. Sic & Paulus: Adhortor vos, vt ambuletis ita vt dignum est vocatione, qua vocati estis, cum omni submissione ac mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes vos inuicem per charitatem, studentes seruare vnitatem Spiritus, per vinculum pacis. Et iterum:  
Dilectio



Dilectio sit non simulata, sitis odio prosequentes, quod *Rom. 12.*  
 malum est, adhærentes ei, quod bonum est. Non enim sufficit bonum Christum agnoscere, nisi & malum Antichristum odio habeas & detesteris: non sufficit iustitiam sectari, nisi & iniustitiam fugias: non sufficit Euangelion verbis confiteri, factis autem negare: sed ea demum est vita pio seu renato homine digna, si non iuxta carnem, sed iuxta Spiritum verferis, & Spiritu facta corporis mortificaueris. Neque id facies absque singulari questu, compendioque. Qui enim DOMINUM Christum ita diligunt, ut odio habeant malum, hos vicissim DOMINUS seruat in omnibus malis: Custodit (inquit) animas sanctorum suorum. Sancti enim sunt, qui sanctum DOMINUM Christum diligunt, & in eum credunt. Deinde, DOMINUS Christus liberabit eos de manu impiorum. Quantum autem hoc est beneficiorum cornu? Si enim Christus custodit animas sanctorum suorum, & liberat eos de manibus impiorum, certe conseruantur in morte ipsa, etiam si mori videantur, & consequentur æternam vitam: Qui credit in me (inquit) etiam si mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Nihil igitur incommodi potest illi accidere, qui diligit DOMINUM Christum. Vnde additur.

11. *Lux exoritur iusto, & rectis corde letitia.*

12. *Letamini iusti in DOMINO, & gratias agite, predicantes sanctitatem eius.*

Lux de qua Psalmus loquitur, est fœlicitas, & prosper  
 R sper



sper rerum successus. Iustus autem & rectus corde est, quod sæpe diximus, non, qui ex operibus seu meritis operum legis iustus est, (nam talem iustum, præter Christum, in toto orbe terrarum non inuenies) sed qui credit, & habet aduocatum apud patrem, Iesum Christum iustum, de quo Ioannes Apostolus scribit; Filioli, inquit, hæc scribo vobis, ne peccetis. Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi. Quare, qui in hunc credit, & hunc habet aduocatum, is, vt est iustus coram Deo, ita cuncta ei fœliciter, alacriter & lætè eueniunt. Sed quid? Num illa est fœlicitas, si quis lapidibus obruatur, quod Hieremiæ accidisse fertur, aut leonibus discerpendus obijciatur, quod Ignatio contigit? aut alijs aduersis casibus occubuerint, quod omnibus, qui piè voluerint in Christo viuere, expectandum erit? Hæc quidem ingens, & coram mundo horribilis calamitas videtur, sed his, qui diligunt Deum, omnia simul adiumento sunt in bonũ. Primum enim fidelis est Deus, qui non sinit sanctos suos tentari, supra id, quod possunt, imò faciet vnã cõtentatione euentum, vt possint sufferre. Deinde compensat temporarias afflictiones æterna fœlicitate: Resputo, inquit iterum Paulus, non esse pares afflictiones præsentis temporis, ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Quare, qui in hoc mundo persecutionem passi sunt, in tantum nullam salutis suæ iacturam fecerunt, vt potius magnum lucrum reportauerint. Ideoq; opportunè admonet Psalmus iustos, vt lætentur in D O M I N O Iesu Christo, & gratias agant, prædicantes sanctitatem



Et vitam eius, ex qua hauriant & ipsi sanctitatem, & fruuntur ea in perpetuum.

VSVS HVIVS PSALMI.

Vide mihi, quanto charitatis affectu Deus complexus sit Israelitas. Non enim tantum adumbravit eis Iesum Christum oraculis et sacrificijs, verumetiam inculcavit eis tot Psalmis maiestatem eius, si quo pacto permoveret eos, ut agnoscerent ipsum, & adorarent: sed surdis, (ut ita loquar) fabula. Tantum enim abest, ut receperint ipsum, cum advenisset, ut etiam omnibus contumelijs vexatum occiderint. Quare haud iniuria translatus est ad Gentes. Et recte e Prophetis vaticinijs dixerunt ad Iudaeos contemptores, Paulus & Barnabas: Vobis oportebat primum loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos vos iudicatis aeterna vita, ecce convertimur ad Gentes. Sic enim nobis praecipit DOMINVS: Posui te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. Et quia nos Gentes intrauimus in possessionem Iudaeorum, & fruimur beneficijs Christi, idcirco sentiamus hos Psalmos, qui nobis regnum & maiestatem Christi ob oculos ponunt, ad nos pertinere, ut ex ipsis edocti & admoniti, Christum DOMINVM nostrum agnoscamus, & ut Deum, servatorem nostrum adoremus.

R. 2. Psalmus



## Psalmus 98.

*Cantate DOMINO canticum nouum, quia mirabilia fecit, &c.*



Æret adhuc Psaltes in commemorandis ijs Psalmis, qui maiestatem regni Christi describunt, è quibus hic Psalmus, qui apud Hebræos nonagesimus octauus numeratur, non est postremus. Describit enim Regnum Christi proferendum in vniuersum mundum, vsq; ad extrema terræ. Et quia omne genus hominum fruitur beneficijs regni Christi, idcirco hortatur omnes, non homines tantum, verumetiam creaturas, ad laudem nominis Christi, & ad gratiarum actionem.

1. *Cantate, inquiens, DOMINO canticum nouum, quoniam admiranda designat. Salutem parat sibi dextera sua, & brachio sancto suo.*

Hic per DOMINVM iterum intelligendus est, DOMINVS Iesus Christus, cui iubet nouum canticum cantare, quia, & res per eum gestæ sunt nouæ, & hæctenus in orbe terrarum inauditæ. Per Admiranda autem, quæ Christus designauit, non intelligenda sunt proprie hoc loco, miracula illa, quæ Christus ædidit, in sanandis ægrotis, in mundandis leprosis, in suscitandis mortuis, & id genus alijs. Hæc enim, etsi sunt admiranda &



da & stupenda, tamen & alij Prophetæ ædiderunt rati-  
 lia, & alia maiora sunt, de quibus Psalter in præsentia  
 loquitur. Christus enim, primum superavit satanam,  
 quod est stratagema longe omnium excellentissimum:  
 Venit (inquit) princeps huius mundi, & in me non *Ioan.14.*  
 habet quicquam. Et iterum: Princeps huius mundi *Ioan.16.*  
 iam iudicatus est. Deinde expiavit coram Deo patre  
 peccatum humani generis, vt homo cum Deo rediret  
 in gratiam. Ad extremum vicit mortem & infernum:  
 Ero mors tua, inquit, ò mors, ero morsus tuus, inferne.  
 Hæc sunt stratagemata, non terrena, sed cœlestia, non  
 humana, sed diuina. Et sunt mirabilia illa, quæ Chris-  
 tus designauit, non aliena, sed sua ipsius virtute: Salu-  
 tem, inquit, parat sibi dextera s v A, & brachio sancto  
 s v O. Resurrexit enim sua ipsius virtute, à mortuis:  
 Declaratus fuit (inquit Paulus) filius Dei cū potentia,  
 secundum Spiritum sanctificationis, ex eo, quod res-  
 surrexit à mortuis. Resurrectione autem sua reporta-  
 uit victoriam, à satana, morte & inferno. Nec tantum  
 sibi ipse in sua ipsius persona victoriam reportauit, sed  
 habet eam communem cum omnibus in ipsum creden-  
 tibus. De plenitudine eius, inquit Ioannes, nos omnes *Ioan.1.*  
 accepimus, gratiam pro gratia. Et Paulus: Vos, cum *Colo.2.*  
 mortui essetis, per delicta & per preputium carnis ves-  
 stræ, simul cum illo viuificauit, condonans nobis om-  
 nia delicta, deleto, quod aduersum nos erat, chyrogra-  
 pho, quod erat contrarium nobis, per decreta, & illud  
 sustulit è medio, affixum cruci, expoliatosq; principas  
 tus ac potestates, ostentauit palam, triumphans de illis  
 per semetipsum. Quare Christus sic parat sibi dex-  
 tera s v A, & brachio sancto s v O, salutem, vt & ipse



ea perpetuò fruatur, & omnes, in ipsum credentes, participes eius reddat.

2. *Notificat DOMINVS salutem suam, coram Gentibus reuelat iustitiam suam.*

Christus non tantum parat sibi dextera & brachio suo salutem, sed etiam patefacit eam omnibus populis, & reuelat iustitiam suam in toto orbe terrarum coram omnibus gentibus. In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed quibus gradibus reuelat Christus iustitiam, seu Euangelion, de iustitia sua? Sequitur.

3. *Recordatur misericordiæ suæ, & veritatis suæ erga domum Israelis. Vident omnes fines terræ, salutem Dei nostri.*

Christus, in promulgando Euangelio, seruat suos gradus & ordinem. Cum enim incarnatus esset, & venisset in mundum, non statim patefecit se Gentibus incircumcisis, nec misit ad eas Apostolos, qui prædicarent ipsis Euangelion suum, sed potius prohibuit: In viam, inquit, Gentium ne abieritis. Et: Non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israeliticæ. Israelitæ enim primi omnium fuerunt, quorum Patriarchis Deus sese reuelauit, & quorum (vt Apostolus ait) est adoptio, & gloria, & testamenta, & legis constitutio, & cultus & promissiones, ex quibus etiam est Christus, quantum attinet ad carnem. Quare congruens erat, vt Christus primum omnium Israelitis patefieret, & ad



& adnuntiaretur: Illud dico, inquit Apostolus, Iesum *Rom. 15.*  
 Christum fuisse ministrum circumcisionis pro veritate Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Et iterum: Vobis oportebat primum loqui sermonem Dei. *Act. 13.*  
 Vnde & Psalmus dicit: Recordatur misericordiae & veritatis suae erga domum Israelis. Et virgo Maria in suo carmine: Suscepit Israel puerum suum, ut memor esset misericordiae, sicut locutus est ad patres nostros. Ac Zacharias: Erexit cornu salutis, in domo David pueri sui, sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo fuerunt Prophetarum suorum. Deinde autem, postquam Israelitae repulerunt Euangelion de Christo, & iudicarunt se indignos aeterna vita: ecce conuertimur (inquit Paulus & Barnabas) ad Gentes. Sic *Act. 13.*  
 enim praecipit nobis DOMINVS: Posui te in lucem Gentium. Et impletur, quod hic Psalmus ait: Vident omnes fines terrae (non Iudaea tantum) salutem Dei nostri.

4. *Iubilate (igitur) DOMINO omnis terra, canite, exultate, & psallite.*
5. *Psallite DOMINO citharis, citharis & psalmis.*
6. *Buccinis & tubis, iubilare coram Rege DOMINO.*
7. *Tumultuetur mare, & plenitudo eius, orbis & habitatores eius.*
8. *Flumina plaudant manu, simul & montes exultent,*
9. *Coram DOMINO: quonia venit adiudicandam terram, ut iudicet orbem terrarum in iustitia, & populos in re-  
 stitidine.*

Concludit Psalmum cohortatione ad laudandum  
 nomen



nomen Christi, & ad gratias ei pro beneficijs, vniuerso orbi terrarum præstitis, agendas. Ac initio vtitur verbis, ad excitandam animi lætitiã, & congratulationem aptissimis: Iubilate, inquit, leuate vocem, seu vociferamini, laudate seu cantate, & psallite. Et vt vehementiam affectus significet, iterum dicit, psallite. Deinde recitat instrumenta aliquot Musica, quibus laus Christi celebretur. In cithara, in cithara, inquam: item, voce cantici seu Psalmi: item, buccinis: item, clangore tubæ. His enim instrumentis laudes Dei decantabantur. Postremò, excitatur ad laudem Christi, & ad gratiarum actionem, O M N I S terra, siue habitabilis, siue inhabitabilis, quia in quauis terra sunt homines, qui fruuntur beneficijs Christi. Item, vniuersum mare, & quicquid in eo commoratur, quia etiam in insulis maris sunt, ad quos beneficia Christi pertinent. Tumultuetur igitur præ gaudio mare, & plenitudo eius, hoc est, insulæ maris declarent lætitiã suam, quibus possunt modis. Item, vniuersus orbis terræ, videlicet habitabilis, hoc est, Christum laudent & celebrent, quotquot vsquam in terra commorantur, ad quos peruenit sonus Apostolorum. Euangelion enim de Christo prædicatum est apud vniuersam creaturam, quæ sub cælo est. Item, plaudant manu, & lætitiã gestiant, tam flumina, quàm montes, tam incolæ vallium, quàm incolæ montium. Ac breuiter, omnis creatura, tam cœlestis, quàm terrestris, agat gratias, coram D O M I N O Iesu Christo, vt & confiteatur ipsum solū seruatore, & testificet se beneficia eius memori mēte agnoscere. Sed qua de causa omnis creatura ad celebrandas laudes Christi, & ad gratias ei agendas excitatur? Et si causa

Colo. 1.



causa in præcedentibus Psalmis, sæpè ac multum recitata est, videlicet, quòd Christus sit **DOMINVS** magnus, & iudex vniuersæ terræ: tamen visum est Spiritui sancto, ea in nouissimo versiculo huius Psalmi repetere: Quia venit (inquit) ad iudicandam terram, vt iudicet orbem terræ in iustitia, & populos in æquitate. Cum autem sermo est de iudicio Christi super omnem terram, rectè intelligendum est. In Euangelio enim Ioannis dicit Christus: Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorarent filium, sicut honorant patrem. Iudicat igitur Christus super omnem terram, non quòd sit in terra, humano & mundano more dominaturus, sed primùm, cum diuulgat Euangelion suum, in vniuerso mundo, vt qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus fiat: qui verò non crediderit, condemnetur. Deinde iudicat super omnem terram, cum omnes, tam viui, quàm mortui stantur ante tribunal Christi, vt reddat vnusquisq; de seipso rationem. Sed quia Christo filio Dei omne iudicium à Deo patre suo datum est, sciamus, obsecro, secundum quam legem Christus **DOMINVS** noster, sententiam iudicij sui sit pronuntiaturus. Non est autem arbitrandum, quòd Christus pronuntiet sententiam iudicij sui secundum legem naturalem, aut secundum Decalogum, qui est legis naturalis epitome. Si enim Christus secundum hanc legem ferret sententiam iudicij sui, omnes homines damnarentur: Si iniquitates, inquit, obseruaueris **DOMINE, DOMINE** quis sustinebit? Et: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Nec secundum alias leges, vel politicas, vel

S Canoni-



Canonicas, vel Mahumeticas, neq; enim illis sumus  
 obnoxij, nisi quatenus ad hanc vitam civilem attinet,  
 neq; his sumus obstricti, quod nec Pontifex, nec Ma-  
 humetes sint Legislatores nostri. Sed feret sententiam  
 secundum Euangelion, quod Christus ipse adnuntias-  
 vit, & Apostoli eius, in toto orbe terrarum diuulgas-  
 runt: Sic Deus, inquit Christus, dilexit mundum, vt  
 filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in  
 eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non es-  
 nim misit Deus filium suum, vt condemnet mundum,  
 sed vt seruetur mundus per eum. Et iterum: Pater di-  
 ligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit  
 filio, habet vitam æternam: qui verò non credit filio,  
 non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Et de  
 Apostolis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti es-  
 stis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in  
 sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duode-  
 cim, iudicantes duodecim tribus Israel, (hoc est) sen-  
 tentia extremi iudicij, non feretur secundum legem  
 Mosi aut Decalogũ, sed secundum Euangelion Chris-  
 sti, siue secundum prædicationem Apostolicam, quod  
 quicumq; crediderit in Christum, quem Apostoli præ-  
 dicarunt, habeat remissionem peccatorum, & saluus  
 fiat: qui autem non crediderit, perpetuò intereat. Hoc  
 enim est in regno Christi, orbem terrarum iudicare in  
 iustitia, & populos in æquitate & rectitudine. Quid  
 autem hoc iudicio mitius? quid clementius? Siue es-  
 nim fueris circumcissus, siue incircumcissus, siue fue-  
 ris mas, siue foemina, siue fueris rex, siue subditus,  
 siue pauper, siue diues, siue honestus, siue peccator, Si  
 tantummodo credideris in Christum, non solum res-  
 mittere



mittentur tibi peccata, verum etiam reputaberis in conspectu Dei iustus, & consequeris hereditatem aeternae vitae. Iustissimum igitur est, ut vniversus orbis cantet DOMINO nostro Iesu Christo nouum canticum, & ornet eum summis laudibus.

## V S V S H V I V S P S A L M I.

Euangelion, inquit Apostolus, potentia Dei est, ad salutem omni credenti, Iudaeo simul & Graeco. Hic autem Psalmus est Euangelion, (hoc est) adnuntiatio de Iesu Christo Domino nostro, quod sit Rex, quod gubernet regnum suum, diuulgato Euangelio suo, in vniverso orbe terrarum, & quod sit iudex omnis terrae. Potentia igitur Dei est omni credenti. Sed quomodo? Si quis agnitione peccatorum affligitur, & metuit condemnationem, habet Christum regem. Hunc agnoscat per fidem, in hunc credat, cuius Euangelio adnuntiatur, quod peccata gratis, propter Christum condonentur. Si quis metu mortis tenetur, & timet interitum, ad hunc Psalmum se conferat, ex quo cognoscit Christum DOMINUM esse victorem mortis, qui resurrectione sua non solum ipse euasit mortem, verum etiam secum e morte reduxit, quotquot in ipsum credunt. Si quis ad inferni dolores trepidat, sumat hunc Psalmum in manus, qui ostendit Christum iudicem totius terrae, viuorum videlicet & mortuorum, qui ex inferis in caelum ita ascendit, ut quotquot in ipsum credunt, secum ex inferis, ad caelum reduxerit. Sic igitur hic Psalmus est potentia Dei ad salutem omni credenti, ut cognita per ipsum maiestate Christi, & confirmata ex



eo fide in Christum, æternam salutem consequamur. Deinde, discamus ex hoc Psalmo, quibus sacris Christus **DOMINVS** noster præcipuè coli gaudeat. Etsi enim non percrepat, nisi canticis, citharis, tubis, & buccinis, quæ fuerunt organa lætitiæ in veteri testamento, tamen his vocibus intelligitur prædicatio Euangelij, qua gloria nominis Christi illustratur, & fides, ac reliqua dona Spiritus sancti, in homines effunduntur. Hæc sunt sacra, quæ vt Christo **DOMINO** mirificè placent: ita vicissim homines Christo de meliori nota commendant.

## Psalms 99.

*DOMINVS regnavit, irascantur populi, &c.*

1. Cor. 8.



Hic Psalmus constat tribus partibus. Prima docet, quis sit verus **DOMINVS** Deus noster. Nam, etiamsi sunt, inquit Paulus, qui dicantur **Dij**, siue in cœlo, siue in terra, quemadmodum sunt multi **Dij**, & **Domini** multi, nobis tamen vnus est Deus. Quæritur ergo, quis sit vnus ille verus Deus? Secunda docet, quale sit illius Dei **Regnum**. Tertia docet, quibus sacris ille vnus & verus Deus sit colendus.

1. *DOMINVS* (inquit) regnat, ideò tumultuantur populi. Sedet super Cherubim, ideò commouetur terra.

2. *DOMI-*



2. *DOMINVS in Zion magnus, & excelsus est super omnes populos.*

Cum **DOMINVS** Deus noster suscepisset Israelitas, ex Ægyptiaca tyrannide liberandos, mittebat Mosen & Aheronem, ad Pharaonem regem Ægypti, qui dicerent: Hæc dicit **DOMINVS** Deus Israel: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. At ille respondit: Quis est **DOMINVS**, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio **DOMINVM**, & Israel non dimittam. Quem igitur Pharao se nescire ac ignorare affirmat, eum hic Psalmus, quasi digito demonstrat: **DOMINVS**, inquit, regnat. Sed quis **DOMINVS**? Sedens, inquit, super Cherubim. Et: Qui in Zione colitur, magnus & excelsus super omnes populos. Habes demonstrationem veri **DOMINI** Dei nostri. Ille enim verus est **DOMINVS** Deus, qui sedet super Cherubim, & qui in Zione colitur, qui videlicet, potentia, dignitate & maiestate superat omnes homines. Qui autem super Cherubim sedet, & in Zione colitur, ac excellentior est omnibus populis, est Iesus Christus, vnigenitus filius Dei. Nam in Exodo mans *Exod. 25.* datur Mose diuinitus, vt faciat propitiatorium de auro mundissimo, & duos Cherubim, hoc est, alatas imagines, expandentes alas sursum, & tegentes alis suis propitiatorium, de quibus dicit **DOMINVS**: Testificabor tibi inde, loquarq; tecum de propitiatorio, de medio Cherubim, (qui sunt super Arcam testimonij) quæ tibi præcepturus sum, ad filios Israel. Et quia **DOMINVS** dabat oracula ac responsa sua de medio Cherubim, idcirco dicebatur super Cherubim sedere, aut habitare.



bitare. Adumbravit autem propitiatorium vnà cum Cherubim, è quibus responsa Dei dabantur, **D O M I N V M** nostrum Iesum Christum, quòd Christus sit mediator noster, propter quem Deus pater propitius sit humano generi, in quo etiam omnes thesauri sapientiae ac scientiae reconditi, imò, in quo inhabitet omnis plenitudo deitatis corporaliter: Christum (inquit Paulus) *Rom. 3.* proposuit Deus *1. Ioan. 4.* ἱλαστήριον, hoc est, propitiatorium, per fidem, interueniente ipsius sanguine. Et Ioannes: Deus misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Manifestum igitur est, quòd per propitiatorium, & Cherubim Moysi, adumbratus sit Iesus Christus **D O M I N V S** noster. Quòd autem attinet ad cultum Dei in Zione, obscurum non est, quòd in Zione fuerit, diuina ordinatione excitatum templum, in quo peragerentur holocausta & reliqua sacrificiorum genera, quæ non quidem expiarent peccata, (non enim potest sanguis taurorum & hircorum peccata auferre,) sed adumbrarent vnicum sacrificium **D O M I N I** nostri Iesu Christi, quo solo peccata expiarentur. Quare, cum hîc fiat mentio **D O M I N I** in Zione magni & excelsi super omnes populos, perspicuum est, quòd intelligendus sit **D O M I N V S** noster Iesus Christus, cuius & templum & sacrificia in templo peracta, vmbra fuerunt. Ille igitur verus **D O M I N V S** Deus noster, Iesus Christus, qui sedet super Cherubim, & qui colitur in Zione, **R E G N A T**: & regnat, non in terra tantum, verum etiam in cælo: Data est mihi (inquiens) **O M N I S** potestas, in cælo & in terra. Sed quo tempore hic Psalmus initio cantatus est, Iesus Christus nondum humanam naturam assumpserat, quomodo igitur dictus



dictus est tunc regnare? Ut respondeam, Christus nō vna tantum, sed duabus naturis constat, diuina videlicet, & humana. Ac iuxta diuinitatem quidem, ut est eiusdē essentię & maiestatis cū Deo patre, ab æterno, ita etiam eadem planē maiestate, cum eo ab æterno regnat. Iuxta humanitatem autem, etsi promissionibus ab initio orbis adnuntiatus, & sacrificijs adumbratus est, tamen tunc primum cœpisse regnare dicitur, cum Deus, adueniente plenitudine temporis, emisit filium suum, factum ex muliere, hoc est, cum Verbum caro factum est, cumq; ascendit in cœlum, & consedit à dextris Dei patris sui, misso in Apostolos Spiritu sancto, & diulgato Euangelio in vniuersum orbem terrarum. Regnat igitur in præsentia DOMINVS noster Iesus Christus, & regnabit, tam diuinitate, quàm humanitate sua, in domo Iacob, & super solium Davidis in æternum. Quid autem hoc rege regnante, fieri solet in terris? Sequitur: Tumultuantur populi, & commouetur terra. Egregia quidem & insignia de Regno Christi in Prophetis prædicantur, & in hoc ipso Psalmo regnum Christi, singulari encomio commendatur, quòd in ipso iudicium & iustitia promoueant, non est autem sentiendum, quòd Christus regnet in his terris, mundano, sed spiritali & cœlesti modo. Nam, quòd ad regnum terrenum, seu mundanum attinet, sicut Christus in passione sua coronatur spinis, & crucifigitur, ita regnat etiam inter spinas, ærumnas & afflictiones, inter tumultus, commotiones & conturbationes: DOMINVS regnat, (inquit Psalmus) ideò tumultuantur populi. Sedet super Cherubim, ideò commouetur terra.



ra. Postquam enim ab initio orbis, promissio diuina facta est de semine mulieris, hoc est, de Christo, contrituro caput satanæ, ex eo tempore cœpit satan insidias ri calcaneo Christi, & tumultuari ac sæuire aduersus Christum. Et quod non potuit in persona ipsa Christi perficere, ( quippe quòd Christus ante plenitudinem temporis nondum humanam naturam assumpserat ) hoc semper conatus est in membris eius, qui sunt credentes in ipsum, peragere, donec ipse in hunc mundum venisset, & administrationem officij sui suscepisset, tunc enim toto impetu in ipsum ita grassatus est, vt ipsum in crucem & in mortem adigeret. Quid pluribus opus est? Satan, & ante incarnationem Christi, à condito orbe, & post incarnationē eius, vel in Christum ipsum, vel in Ecclesiā eius incurrit, vt & populi tumultuarentur, & terra perturbaretur. In Abele pro martyre, persecutus est Christum, per Cainum: in Israelitis, qui fuerunt suo tempore Ecclesia Christi, persecutus est Christum per Pharaonem regem Ægypti: in eisdem Israelitis sæuijt in Christum per finitimas gentes, per Moabitas, Ammonitas & Philistinos: in Prophetis sæuijt in Christum per impios idolomanitas: in populo Dei sæuijt in Christum per Antiochum Epiphanem. Post incarnationem autē Christi, incurrit in Christum, in infantibus Bethlehemiticis, per Herodem. Post ascensum eius in cœlum, incurrit in ipsum, in Apostolis, per Iudæos. Deniq; in vniuersa Ecclesia, per Iudæos pariter & Gentes, adeoq; incurret in eum, in omnibus pijs, vsq; ad nouissimum huius seculi diem, per Antichristum, & impios eius Sarras

2. *Timo. 3.* pas. Omnes enim, qui piē volunt viuere in Christo, persecus



persecutionem patientur. Et: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnū Dei. DOMINVS igitur noster Iesus Christus REGNAT quidem, sed in medio inimicorum, imò in medio diabolorum, quos ita compescit, vt etsi inuehantur in Ecclesiam eius crudeliter, non tamen sinit eam tentari supra id, quod ferre potest: & compensat afflictiones huius temporis, æterna beatitudine.

3. *Gratie (igitur) agantur nomini tuo magno, & admirabili, Sanctum est enim.*

Conclusio primæ partis huius Psalmi, in qua conclusione hortatur Ecclesiam ad agendas gratias DOMINO nostro Iesu Christo, & ad celebrandum nomen eius, cui tribuit tria insignia epitheta, videlicet, Magnum, Admirabile, seu Stupendum, & Sanctum. Hoc enim illud est, quod Paulus ad Philippenses scribens: *Philip. 2.* Deus, inquit, extulit illum, Christum, in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & infernorum. Et ad Ephesios: *Ephe. 1.* Sedere fecit eum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, potestatem, virtutem, dominium, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, verumetiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes eius, &c. Cum igitur Christus ad tantam altitudinem, & nominis maiestatem sit euectus, principio, nomen eius est Magnum, quia filius altissimi, vt Archangelus dicit, vocabitur. Deinde, nomen eius est Admirabile, seu stupendum, quia ipse est DOMI-  
T N V S



NVS in cœlo & in terra, & collocatus ad dextram Dei patris, supra omnem principatum, & omne nomē, tam in hoc, quàm in futuro seculo. Postremò, nomen eius est Sanctum, quia non solum ipse sanctus, & ab omni profanitate, natura sua, alienissimus est, verum etiam sanctificat, quotquot in ipsum credunt, vt nomen eius meritò celebretur, & gratiæ ei agantur, quòd regnet.

4. *Et imperium Regis iudicium diligit: tu gubernas æquitate, iudicium & iustitiam in Iacob tu facis.*

Secunda huius Psalmi pars est de Regno Christi. Christus enim verus est Deus, & regnat in cœlo & in terra. Quale igitur est Regnum eius, & quas habet conditiones? Regna quidem & imperia huius seculi, quanto sunt fortiora & potentiora, tantò magis ad tyrannidem inclinant, & propendent. Imperium autem Regis Christi, diligit iudicium, & gubernatur æquitate. Etsi enim est longè omnium potentissimum, tamen tantum abest à violentia & tyrannide, vt omnia summo iudicio & æquitate administrantur. Rex ipse diligit iudicium, & id agit summa cura, vt nihil cuiquam, præter æquum & bonum contingat. Tu enim Christe, ille ipse es, qui facis iudicium & iustitiam in Iacob. In descriptione quidem Regnorum huius mundi, vbi in sacris literis duo hæc vocabula, iudicium & iustitia, coniunguntur, ibi hoc significat, cum nocentes ob malefacta puniuntur, illud autem, cum innocentes ob innocentiam defenduntur, & honorantur. (Has enim duas esse partes officij boni magistratus,



tus, testantur Paulus & Petrus: Ad vindictam vides *Rom. 13.* licet nocentium, laudem verò rectè agentium. ) In des *1. Petri 2.* scriptione autem Regni Christi, ibi iudicium significat, condemnationem incredulorum & impœnitentium, ad æterna supplicia, Iustitia verò significat liberationem credentium & piorum ex omnibus aduersis, ad æternam salutem. Iuxta illud: Qui credit filio, habet vitam æternam: qui verò non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Rex igitur Christus dicitur in Iacob, ( hoc est ) in regno suo, & in Ecclesia facere iudicium & iustitiam, cum, condemnatis impijs, seruat credentes Euangelio & pios, in omnibus aduersis, & donat eos æterna foelicitate. Talis est conditio regni Christi. Ibi enim non est Iudæus, neq; *Gala. 3.* Græcus: non est seruus, neq; liber: non est masculus ac foemina: nulla ibi est *προσωποληψία*: nullus ibi nec personarum, nec officiorum respectus. Siue enim rex fuerit, siue subditus, siue sapiens, siue desipiens, siue doctus, siue indoctus, addo etiam, siue honestus, siue inhonestus, si quidem crediderit in Christum, saluus erit: si autem non crediderit, condemnabitur: vt regnum Christi, summa quidem æquitate constet, dissimilimū autem sit regnorum huius mundi.

5. *Exaltate DOMINVM Deum nostrum, & adorate ad scabellum pedum eius. Sanctus enim est ipse.*

Tertia pars huius Psalmi, in qua exponitur, quibus sacris verus ille Rex & Deus, DOMINVS noster Iesus Christus colatur. Quisquis igitur voluerit hunc Regem & Christum, pro dignitate sua colere & venerari.

T 2 rari.



*Psalm. 69.*

rari. Primum, exaltet eum, prædicatione videlicet nominis, & Euangelij eius: Laudabo, inquit, nomen Dei cum cantico, magnificabo eum laude seu confessione. Et: Placebit DOMINO, plus quàm vitulus, cornua producens & vngulas. Deinde, adoret ad scabellum pedum eius. Scabellum pedum Christi, dicitur, in lege quidem Mosi Arca propitiatorij, cum duobus Cherubim, quòd DOMINVS in ijs sedere ac habitare dicitur, ad quam arcam, Israelitæ necesse habebant in adoratione & inuocatione sua, faciem suam vertere: in Euangelio autem, Christus ipse, seu humanitas, quam Christus, filius Dei, in vnitatem personæ suæ assumpsit. Vt igitur ritè colas DOMINVM nostrum Iesum Christum, adorandus est, non vt Deus tantum, sed etiam vt homo, non secundum diuinitatem suam tantum, sed etiam secundum humanitatem suam, ( hoc est ) totus est & diuinitate & humanitate adorandus. In ipso enim inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter.

*Colo. 2.*  
*Phili. 2.* Et: Deus extulit ipsum in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & inferorum, omnisq; lingua confiteatur, quòd DOMINVS sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris. Obseruabile est, quod Diuus Augustinus in hunc Psalmum scribit: Exponens, inquit, mihi, quid sit scabellum pedum eius, dicit: Terra autem scabellum pedum meorum. Anceps factus sum: timeo adorare terram, ne damnet me, qui fecit cœlum & terram. Rursus, timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: Adorate scabellum pedum eius. Quaero, quid sit scabellum pedum eius, & dicit mihi scriptura:

ptura:



ptura : Terra scabellum pedum meorum. Fluctuans, conuerto me ad Christum, quia ipsum quaero hîc, & inuenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra, terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ, carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi si prius adorauerit: inuentum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus NON adorando. Haecenus Augustinus. Sed & hic ipse Psalmus addit causam, cur vel ipsum scabellum pedum DOMINI, vel ad scabellum pedum DOMINI, sit adorandum. Dicit enim: Quia sanctus est ipse, videlicet, Christus. Aut: Sanctum est ipsum scabellum. Nam siue intelliges Christum ipsum, siue scabellum eius, quod humanitatem eius significat, adores ipsum, necesse est, propterea quod humanitas Christi sit sancta, non qualiter alij homines dicuntur sancti, sed qualiter sanctus est vnigenitus filius Dei, qui humanitatem in eandem personam, ideoque coadorandam, assumpsit.

Porro, Christus colendus & venerandus est, non tantum exaltatione, seu celebratione nominis sui, & adoratione, verumetiam inuocatione. Sic enim in Psalmo sequitur:

6. *Moses & Aheron inter sacerdotes eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomē eius: inuocabant DOMINVM, & ipse exaudiebat eos.*

T 3 7. Per



7. *Per columnam nubis loquebatur ad eos, custodierunt testimonia eius, & præceptum, quod dedit eis.*
8. *DOMINE Deus noster, tu exaudiebas eos. Deus, propitius fuisti eis, & ulcisceris facta illorum.*

Ne quis enim arbitraretur, Christum adorandū tantum, vt Monarcham terræ, sed etiam adorandum, vt Deum cœli, addit de inuocatione. Nam Christus non solum adorandus est externo corporis gestu, sicut Reges huius mundi adorari solent, verum etiam adorandus est inuocatione, sicut Deus ipse adoratur: & inuocandus, vt verus adiutor in necessitatibus, & auxiliator in omnibus afflictionibus. Probat autē illud exemplis trium veterum Prophetarum, qui quondam inuocabant Christum, in suis, & populorum suorum aduersis, & Christus exaudiebat eos, ac opem ferebat, vt celsissimè, ita & promptissimè.

Primus est Moses. In Numeris enim, cap. 14. cum exploratores Israelitarum infamassent terram Canaan, & exposuissent, fieri non posse, vt Israelitæ ingrederentur, & occuparent eam, populus ad seditionem contra Mosen concitatus est, & deliberauit, de reditu in Ægyptum. Deus igitur in tantam indignationem exarsit, vt susciperet Israelitas ad internicionem vsq; delendos: Vsquequo, inquit ad Mosen, detrahet mihi populus iste? Quousq; non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atq; consumam, TE autem faciam principem super gentem magnam, & fortiolem, quàm hæc est. Moses verò, misertus calamitatis populi, intercessit pro

sit pro



lit pro eis apud D O M I N V M, quantis potuit precibus: Dimitte, obsecro, inquit, peccatum populi tui huius, secundum magnitudinem misericordiae tuae, sicut propitius fuisti egredientibus de Aegypto, usque ad locum istum. Itaque iram Dei sic placavit, ut Deus ipse exclamaret: Dimisi, inquit, iuxta verbum tuum. Vivo ego, implebitur gloria D O M I N I vniuersa terra.

Secundus est Aheron, frater Mosi, qui & ipse desperatione sua, iram Dei, grassantis iam ad interitum Israelitici populi, ita mitigavit, ut etsi plus quam quatuordecim millia perierant, & totus Israel ad internicionem designatus erat, plaga tamen cessaret. In Numeris enim, cap. 16. cum in seditione Chore, Dathan & Abiron, magna multitudo perierat, & culpa interitus in Mosen & Aheronem reijceretur, ignis autem a Deo in populum ita saeuiret, ut videretur vniuersa Israelitarum castra deuoraturus, iussit Moses Aheronem tollere thuribulum, & offerre thymiam, ac deprecari pro populo. Ecce igitur, rem non mirandam tantum, sed & stupendam, Aherone offerente thymiam, & deprecante pro populo, plaga cessauit.

Tertius est Samuel Propheta, qui etsi non fuit ex ordine Sacerdotali, sed tantum Levitico, erat tamen inter illos, qui nomen D O M I N I inuocabant, & populo suo inuocatione sua salutem impetrabant. In priori enim libro Samuelis, capite septimo, incurrunt satrapae Philistinorum in Israelitas, & minabantur ipsis extrema mala. Postquam autem Israelitae admonuerunt Samuelem, ut non cessaret pro ipsis clamare ad D O M I N V M, & Samuel votis eorum gratificaretur, vide mihi rem non insolitam tantum, sed & horrendam,  
Samuel



Samuele enim offerente holocaustum, & ad DOMINUM clamante, intonuit DOMINUS fragore magno, in die illo, super Philistinos, & ita exterruit eos, vt nō solum foedissimæ fugæ sese darent, verūmetiam ad interuersionem penè delerentur. Certè, cunctis diebus Samuelis, non potuerunt coram Israel caput suum attollere. Habes tres Heroas, qui inuocatione sua salutē populo suo attulerunt, & in extremis periculis seruauerunt. Videamus autem nunc, QVEM DEVM inuocauerint? Quem verò alium inuocauissent, nisi

*Exod. 24.* DOMINVM Deum, cuius Mose & Aheron Sacerdotes, & Samuel, Propheta fuerunt, qui videlicet collocatus erat cum ipsis per columnam nubis, & per visionem nocturnam, aut, vt adhuc explicatius dicam, qui in Zion colebatur, et per propitiatorium adumbrabatur. Is est Iesus Christus DOMINVS noster, verus Deus, creator cœli & terræ, Rex regum, & DOMINVS dominantium, qui etsi illo tempore, quo hæc gesta sunt, nondum humanam naturam assumpserat, tamen colloquebatur cum Patriarchis, tuebatur suam Ecclesiam, educebat captiuos è tyrannide Pharaonis, seruabat Israelitas in mari rubro, ferebat Legem in monte Sinai, dabat Manna de cœlo, & aquam de petra, collocabat, deuictis Gentibus Cananæis, Israelitas in terra Canaan, adeoq; omnia in cœlo & terra administrabat: Patres nostri, inquit Paulus, omnes sub nube erant, & omnes per mare transierunt. Ac mox: Bibebant de spirituali comitante petra: petra verò erat Christus. Et iterum: Neq; tentemus Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt, & à serpentibus extincti sunt. Et in Epistola ad Hebræos: Iesus Christus heri & hodie, idem

*Exod. 24.*

*Leui. 11.*

*1. Samu. 3.*

*1. Cor. 10.*



idem est etiam in secula. Cum igitur Moses, Aheron & Samuel, iam tum Christum inuocauerint, & ab ipso salutem populorum suorum in summis periculis impetrauerint, manifestum est, Christum non tam adoratione ciuili, qualiter mundani Reges, adorantur, quam inuocatione spiritali, qualiter verus & æternus ipse Deus, colendum & venerandum esse. Inuocabant **D O M I N V M**, videlicet, Christum, & ipse Christus exaudivat eos. Per columnam nubis loquebatur ad eos, Mosen videlicet, & Aheronem. Iusserat enim **D O M I N V S** Mosen, secum assumere Aheronem, in montem & nubem, è qua **D O M I N V S** loquebatur cum Mose: Vade, inquit, descende: ascendesq; tu, & Aheron *Exo. 19.* tecum. Testatur etiam liber Leuiticus, cap. 11. 13. & 15. Et liber Numerorum, cap. 2. 4. 18. & 19. **D O M I N V M**, & cum Mose & cum Aherone è nube collocutum esse. Iubebat quidem **D O M I N V S** etiam alias, Mosen se *Exo. 24.* cum assumere, non tantum Aheronem, verumetiam Nadab & Abihu, & septuaginta ex senioribus, sed iubebat eos, vt non propè accederent, sed à longè adorarent. Aheronem vero admisit aliquoties, vna cū Mose, etiam in secretiora colloquia. Et sequitur: Custodierunt testimonia eius, & præceptum, quod dedit eis. Psalmus autem non loquitur hîc, de personalibus horum Prophetarum erratis & vitijs, sed de generali eorum ministerio. Etsi enim Moses peccauit ad aquas contradictionis incredulitate, & Aheron Architectatione vituli aurei, & Samuel indulgentia liberorum suorum, tamen de his peccatis non fit in præsentia sermo, sed de ministerio eorum in ferenda & explicanda lege **D O M I N I**, & in intercedendo pro populo, iuxta officium

V

officium



*Num. 12.* officium & vocationem ipsorum. De Mose scriptum  
*Heb. 3.* est : Moses, inquit D O M I N V S, in domo mea fides  
*Num. 17.* *Hier. 15.* lissimus est. Aheronis ministerium approbat D O M I N V S  
 de cœlo, virga mirabiliter germinante. Samue-  
 lis inuocationem celebrat Hieremias. In hoc igitur  
 ministerio, hi tres summam præstiterunt operam &  
 fidem, vt verè de ipsis dicatur, quòd custodierint testi-  
 monia D O M I N I, & præceptum, quod dederat ipsis  
 D O M I N V S. Vnde & additur : D O M I N E Deus nos-  
 ter, tu exaudiebas eos, Deus, propitius eis fuisti. Quia  
 D O M I N V S noster Christus, delectatus intercessione  
 eorum pro populis suis, remittit quidem iram suam, vt  
 non extinguat & delet ipsos internicione, sed ta-  
 men seditiosorum & impiorum conatus & studia vlc-  
 iscatur & puniat : Dimisi (inquit Christus ad Mosen)  
*Num. 14.* iuxta verbum tuum. Addit autem : Filij vestri erunt  
*16.* vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornica-  
*1. Sam. 12.* tionem vestram. Et in Samuele, Israelitæ, cùm, con-  
 tempto Samuele, Regem petiissent, cœlesti voce ita  
 exterrentur, vt repentinam mortem sibi imminere ar-  
 bitrarentur. Hic nobis considerandum venit, quatenus  
 valeat aliena apud Deum intercessio : Moses &  
 Aheron intercedunt apud Deum pro populo suo, &  
 impetrant ei conseruationem, Loth intercedit pro op-  
 pidulo Seor, & impetrat ei incolumitatem. Samuel in-  
 tercedit pro Israelitis, & impetrat eis victoriam. Nun-  
 quid ergo aliena intercessio profuerit, sine illorum,  
 pro quibus interceditur, pœnitentia? Dubium qui-  
 dem non est, quin aliena intercessio multa impetret  
 beneficia, tam corporalia, quam spiritualia. Vt autem  
 remissionem peccatorum, & æternam salutem, quæ  
 sunt



sunt verè coelestia & perpetua beneficia, consequaris, nullus est, qui tibi impetrare queat, nisi tu ipse poenitentiam egeris, & credideris. Quare, non est, quòd aliena intercessione confidas. Sed ad consequendam coram Deo peccatorum condonationem, & vitam æternam, necesse habes, tu ipse, poenitentiam agere, & propriam habere fidem, qua coram Deo, per Iesum Christum, DOMINUM nostrum iustificeris.

9. *Exaltate DOMINUM Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius, quia Sanctus DOMINVS Deus noster.*

Concludit Psalmum versiculo, qui suprà erat quintus, & iterum docet ac hortatur, quo cultu, & quibus sacris DOMINVS noster Iesus Christus sit colendus. Nam si gratum cultū Christo Domino nostro præstare volueris, nō gratificaberis ei, sacris, humana traditione confictis & institutis: Frustra enim, inquit, colunt me, *Matth. 15.* docentes doctrinas, præcepta hominum. Sed colendus est, primū, Exaltatione, (hoc est) nominis eius agnitione & glorificatione, videlicet, vt agnoscas ipsum, humiliatum quidem, propter salutem humani generis, vsq; ad mortem crucis, exaltatum autem in summam sublimitatem, ad dextram Dei patris in coelestibus, supra omnem principatum ac potestatem, & virtutem & dominium, & omne nomen, quod nominatur, non solum in seculo hoc, verū etiam in futuro. Deinde colendus est Adoratione. Quod enim suprà, versiculo quinto dixit: Adorate ad scabellum pedum



3. Reg. 8.

dum eius, hoc nunc dicit: Adorate ad montem, vel in monte sancto eius. Iterum autem loquitur pro tempore pædogagiæ. In Mosaica enim politia adorandum erat, versa facie, ad arcam Testamenti, & ad propitiatorium, hoc est, ad templum, in monte Zion ædificatum. Hæc autem omnia, Templum videlicet, Arca testamenti, & Propitiatorium, adumbrarunt Iesum Christum DOMINVM nostrum. Cum ergo in hoc versiculo dicitur: Adorate ad montem, vel in monte sancto meo, significat, Patrem adorandū in Spiritu & veritate, hoc est, in Iesu Christo DOMINO nostro, vt Adorare in monte sancto, nihil aliud sit, quam quod Christus ipse apud Ioannem dicit: Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater per filium: Si quid petieritis per nomen meum, EGO FACIAM. Et quod Paulus dicit: Donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium, & inferorum, omniscq; lingua confiteatur, quod DOMINVS sit Iesus Christus, ad gloriam Dei patris.

## VSVS HUIVS PSALMI.

In Actis Apostolicis, duo extāt dicta Petri Apostoli, quæ exponunt verum vsum huius Psalmi. Alterum est: Certò sciat tota domus Israel, quod DOMINVM & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Alterum: Non est aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri.

ri.



ri. In hoc autem Psalmo proponitur nobis Christus cognoscendus, vt verus Deus **DOMINVS** noster, sedens ad dexteram Dei, iudicaturus viuos & mortuos. Vociferantur igitur Mahumetani: Non est Deus, nisi Deus, & Mahumet Propheta eius. Nos autem vociferemur iuxta hunc Psalmum: Non est verus Deus, nisi Christus **DOMINVS** noster, iuxta Prophetica & Apostolica testimonia, per quem adnuntiatur nobis *AR. 13.* remissio peccatorum, & ab omnibus, à quibus non potuimus per legem Mosis iustificari. Per hunc autem omnis, qui **CREDIT**, iustificatur, vt non solum non imputentur ei peccata, verumetiam ornentur iustitia Christi, qua constet coram tribunali Dei, & donentur Spiritu sancto, qui efficiat, vt non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulemus.

V 3

Psalmus



## Psalmus 100.

*Iubilare Deo omnis terra, servite DOMI-  
NO, &c.*



Onagesimum nonum Psalmum, peropportune sequitur centesimus. In illo enim continetur, commendatio DOMINI nostri Iesu Christi, & maiestatis regni eius: in hoc autem continetur adhortatio, brevis quidem illa, sed alacris, ad laudandum & celebrandum nomen Christi, in tota terra, & inter omnes Gentes. Qui enim maiestate sua superat omnia, & beneficentiam suam omnibus fruendam offert, is ab omnibus etiam coli & celebrari meretur.

1. *Iubilare DOMINO omnis terra.*
2. *Servite DOMINO in letitia, venite ante conspectum eius, in exultatione.*

DOMINVS autem ille, (quemadmodum antè diximus) cui iubilet omnis terra, cui seruiant omnes huius terræ incolæ, & in cuius conspectum ingrediantur omnes homines, læti & alacres, est DOMINVS noster Iesus Christus, qui est exaltatus ad dextram Dei, supra omnem principatum, & supra omne nomen, quod nominatur, non solum in seculo hoc, verum etiã in futuro.

Et



Et iubilent ei ac seruiant, non tantum Iudæi, sed etiam Gentes, adeoq̄ omnis terra, tam Iudæi, quàm Gentes. Seruiant autem, non tristes, non mœsti & sordidati, sed læti & alacres. Quid ergo est, inquires, quod in alio Psalmo dicitur: Seruite DOMINO in timore, *Psalm. 2.* & exultate ei cum tremore? In nostro Psalmo iubemur seruire DOMINO in lætitia, & venire ante conspectum eius in exultatione. In secundo autem Psalmo, iubemur DOMINO seruire in timore, & exultare ei cum tremore. An non timor & tremor pugnant cum lætitia & exultatione? Sed si alterum resuleris ad agnitionem peccati, alterum ad fidem in Christum, in tantum non pugnant, vt alterum, alteris us sit Parasceue. Nam si susceperis DOMINO Christo verè, & ex animo seruiendum, principio agnoscenda sunt peccata: hic est timor & tremor. Quis enim peccata sua agnoscens, & iudicium eorum seriò considerans, non expauesceret, non trepidaret? Si iniquitates obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? Deinde, credendum est in Iesum Christum, quòd peccata per ipsum sint expiata, & nobis, propter ipsum, clementer condonata. Hæc est lætitia & exultatio. Quid enim lætius nobis contingere potest, & in quo alacrius exultandum, quàm quòd iustificati ex fide, pacem habeamus erga Deum, per DOMINUM nostrum Iesum Christum, per quem & cõtiguit nobis, vt fide perduceremur in gratiã hanc, in qua stamus, & gloriamur sub spe glorię Dei. Sic ergo seruiamus DOMINO nostro Iesu Christo, vt ex agnitione quidẽ peccatorum trepidemus, ad iudiciũ Dei, sed e contra cõcipiamus ex fide in Christum, lætitiã et exultationẽ, vt semper

in D O



in **DOMINO** gaudeamus, indefinēter oremus, & gratias in omnibus agamus.

Videamus autem nunc causas, cur **DOMINO** Christo sit iubilandum, & in lætitia seruiendum.

3. *Scitote, quoniam DOMINVS ipse Deus. Ipse fecit nos, & non nos ipsi: populus eius, & oues pascuæ eius.*

Duæ sunt præcipuæ causæ, quæ nos excitare, imò inflammare debent, vt Christo iubilemus & seruiamus. Altera est, quòd non sit tantum creator, sed etiam pastor & conseruator noster. Altera, quia tam bonus est erga nos, vt misericordia & veritas eius sit perpetua. Ac de priori quidem prius. **DOMINO** enim nostro Iesu Christo seruiendum est, non seruiliter, sed libere, non coactè, sed ingenuè, non tristi, sed læto & alacri animo, qualiter obediētes filij dulcissimo suo parenti seruire solent. Nam Christus, primum est creator noster: Neq; enim nos ipsi fecimus & creauimus nos, sed ipse est factor & creator noster, qui condidit nos ex nihilo. Deinde, ipse est conseruator, seu pastor noster: Non tantum creauit nos, sed etiam conseruat nos, & alit. Nos enim sumus oues pascuæ eius. Ducit & reducit nos ad læta pascua, sicut pastor gregem suum: Ego sum, inquit, pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis. Et iterum: Ego sum ostium, per me, si quis introierit, seruabitur, & ingredietur & egredietur, & **PASCVA** inueniet. Et iterum: Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Dices autem: Fateor quidem, Christum esse creatorem & conseruatorem nostrum, siquidem de  
æterna



æterna eius diuinitate loquaris. Quomodo autem sit creator noster, si humanitatem eius respexeris, non vis deo, quippe quòd humanitas eius, ipsa sit creatura, & in plenitudine temporis, de Spiritu sancto in virgine Maria concepta, & ex ea nata. Sed memineris, Christum DOMINVM nostrum, verum quidem Deum esse ab æterno, in plenitudine autem temporis, assumpsisse humanam naturam, ex Maria virgine, idque non simpliciter, quemadmodum homo quispiam assumit vestem, quam iterum pro suo arbitrio deponat, sed assumpsisse eam, tam arcto (vt ita dicam) nexu & vinculo, vt Deus & homo vna fieret persona. Ex quo factum est, vt cum humanitas Christi, in eandem inseparabilem personam, cum æterno filio Dei, assumpta, ante incarnationem Christi fuerit creatura, post incarnationem autem fieret etiam ipsa creatrix, idque non natura sua & essentia, sed propter personalem filij Dei & filij hominis vnionem. Totus igitur Christus, tam diuinitate, quam humanitate, post incarnationem suam, vt verus DOMINVS, creator & conseruator noster, reuerendus & adorandus.

Sed priusquam altera causa recitetur, Psalmus facit ad eam transitionem, iterum cohortans, vt ingrediamur Sanctuarium, seu tabernaculum eius.

4. *Ingedimini, inquit, portas eius cum gratiarum actione, in atria eius cum laude: gratias agite ei, benedicite nomini eius.*
5. *Quoniam bonus DOMINVS, in æternum misericordia eius, & vsq; ad generationem & generationem veritas eius.*

X Altera



Altera causa, cur DOMINO nostro Iesu Christo sit iubilandum, & seruiendum in Ietitia: Quoniam Christus (inquit) est DOMINVS, idq; non simpliciter, sed bonus & beneficus, cuius misericordia est sempiterna, & veritas perpetua. Non enim talis est, qui non conferat beneficia in populum suum, nisi benemeritum: sed qui, vt promittit beneficia gratis, absq; vlllo meritorum respectu, ita etiam seruat promissa, gratuita clementia, constantissimè. Vt misericordia eius perpetua est, ita etiam veritas promissionum eius, est perpetua. Christus, non est Deus futilis & vanus, quales solent esse Dii Gentium, sed est Deus verax, idq; in generationem & generationem, hoc est, in sempiternum. In *Gene. 15.* Genesi promittit Christus, filius Dei, se posteros Abrahamæ ex Ægyptiaca tyrannide liberaturum, & eis terram Canaan in possessionem traditurum: Semini tuo (inquit ad Abraham) dabo terram hanc, à fluuio Ægypti, vsq; ad fluuium Euphraten. Et hanc promissionem, tam firmiter, tam constanter seruauit, vt cum obstaret ei rex Ægyptiacus, qui erat terræ Monarcha, & mare rubrum, & horribile desertum, & fortissimæ gentes, in terra Canaan, maluerit rerum naturã inuertere, quàm in promissis suis mendax esse. In *Esaia 52.* Esaia promittit se in plenitudine temporis coràm affuturum, humanam naturam assumpturum, & sacrificium suum pro peccatis facturum: Qui loquebar, inquit, ecce Assum. Hanc promissionem, e qua omnes aliæ pendent, ita veraciter, definito suo tempore, seruauit & impleuit, vt maluerit crucifigi & mori, quàm non esse verax. Cum veritate & constantia filij Dei, consentit etiam *Hier. 33.* Deus pater eius cœlestis; Si irritum, inquit, potest fieri



fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit, cum David seruo meo, vt non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ & Sacerdotes ministri mei. Cum igitur Christus filius Dei, imò Deus & D O M I N V S ipse, sit non tantum misericors, sed etiam in promissis suis veracissimus & constantissimus, merito ingrediendum est in portas tabernaculi eius, cum sacrificijs gratiarum actionis, & laudis, (hoc est) coniungendum est se, cum Ecclesia Christi, vt beneficiorum eius participes fiamus, & ipsis perpetuo fruamur.

## V S V S H V I V S P S A L M I.

In descriptione regni Christi, duæ inprimis siue virtutes, siue affectiones Christo attribuuntur, quarum altera est Misericordia, altera, Veritas, eaq; non momentanea, sed stabilis et perpetua. Nec hoc loco tantum, sed cum in alijs locis, tum præcipue in Psalmo 89. Iustitia (inquit) & iudicium sunt basis throni tui, misericordia & veritas sunt tibi curæ. Regnum igitur Christi, non est regnum iræ & seueritatis, sed regnum Misericordiæ & Veritatis. Nam, si quis iudicio peccati ita perturbatus fuerit, vt metuat æternam iram Dei, is recipiat sese in regnum Christi, (id quod fit, per fidem in Christum) & meminerit se non amplius versari in regno iræ, sed in regno æternæ misericordiæ & gratiæ. Aut si quis obrutus fuerit horrore mortis, & metuat sempiternam mortem, propter peccatum, is conferat se in regnum Christi, (id quod fit per fiduciam nominis Christi) &



certo sciat, se versari, non in regno mortis, sed in regno  
 vitæ & veritatis. Aut si quis inferni faucibus ita ap-  
 prehensus fuerit, vt animum de salute sua despondeat,  
 & non videat, nisi æternum interitum, is properet ad  
 regnum Christi, (id quod fit, si quis crediderit in Chri-  
 stum) & certam concipiat persuasionem, se non ampli-  
 us detineri in regno inferni, sed euasisse in regnum cœ-  
 li: Lex enim (inquit) per Mosen data est, gratia autē  
 & veritas per Iesum Christū exorta est, (hoc est) Mos-  
 es ostendit per legem, peccatum ac iram Dei, & con-  
 iicit in mortem & infernum, propter peccatū: Christus  
 autem restituit nos gratiæ & misericordiæ Dei, vt ab-  
 soluti à peccato, vera & æterna bona, in cœlesti regno  
 possideamus. Quare illud solum agamus, & eò tantum  
 tendamus, vt è regno Mosi, quod non est, nisi regnum  
 iræ, mortis & inferni, ad regnum Christi, quod  
 est regnum misericordiæ, remissionis pec-  
 catorum, veritatis, vitæ & perpe-  
 tuæ salutis, transfera-  
 mur.



4  
Jd 3714

[10. 11. 12.]


(x2210685)

56.









Breuis & perspicua  
explicatio Psalmorum  
Dauidis.

AUTORE

Ioanne Brentio.

DECAS DECIMA.



T V B I N G Æ,  
Apud viduam Vlrici Morhardi,  
Anno 1569.

